

Early Journal Content on JSTOR, Free to Anyone in the World

This article is one of nearly 500,000 scholarly works digitized and made freely available to everyone in the world by JSTOR.

Known as the Early Journal Content, this set of works include research articles, news, letters, and other writings published in more than 200 of the oldest leading academic journals. The works date from the mid-seventeenth to the early twentieth centuries.

We encourage people to read and share the Early Journal Content openly and to tell others that this resource exists. People may post this content online or redistribute in any way for non-commercial purposes.

Read more about Early Journal Content at http://about.jstor.org/participate-jstor/individuals/early-journal-content.

JSTOR is a digital library of academic journals, books, and primary source objects. JSTOR helps people discover, use, and build upon a wide range of content through a powerful research and teaching platform, and preserves this content for future generations. JSTOR is part of ITHAKA, a not-for-profit organization that also includes Ithaka S+R and Portico. For more information about JSTOR, please contact support@jstor.org.

De apparitoribus magistratuum Romanorum.

„Bartholomaeo Borghesio auctor.“

„Misi Tibi, vir summe, quae his diebus conscripseram de magi-
„stratuum Romanorum apparitoribus ut Tua ope et emendatiora et au-
„ctiora in lucem proferrem. Quod me quoque facere non miraberis,
„cum Te intueamur quicunque in his rebus operam collocamus. Tuo
„iudicio in utramcunque partem prolato mihi decisum erit, qui cum
„hoc scribendi genus civibus meis num acceptum sit futurum penitus
„ignorem, ad Te me recepi“.

Borghesius ita a me rogatus precibus meis abunde satisfecit et in plenis suis doctisque epistolis cum alia probasset, alia correxit: gravissimumque ego de pullariis errorem ab eo admonitus sustuli. Quae praeterea mihi subministravit eis ita usus sum, ut non mea mihi esse viderentur, quare quae a summo viro profecta erant ea sive mihi persuaserat sive minus, omnia adscripsi. — Quod praeterea praemittam non habeo, nisi scriptam esse hanc dissertationem ad exemplum egregii libri quem de vigilibus Kellermann reliquit; bene enim de his nostris studiis merere mihi videbatur qui aliud aliquod inscriptionum genus ita composuisset, ut ipsa compositio pro commentario esset. Titulos apparitorum quos nossem omnes typis quoque exscribere in animo erat; quod postea pro titulis argumenta sola dedi, id Musei Rhenani potius quam meis rationibus tribuendum est. Re tamen id non multum interesse neque huius libri qualemcunque utilitatem eo sublatum iri confido.

Propositum nobis est colligere inscriptiones quae supersunt eorum, qui magistratibus Romanis dum officio in Urbe

fungerentur mercenariam operam praebebant. Non agimus igitur de honestioris ordinis hominibus qui lege moreve aderant magistratui, ut sunt quaestores quique in cohorte sunt; item omittentur servi publici, quos et ipsos magistratibus et sacerdotibus lege attributos esse referlur *), et in his architecti, quos habuerunt quidam magistratus (Frontin. de aquaed. c. 100. Cic. in Rull. II, 13). Omittentur denique accensi. Etsi inter accensos servi non reperiuntur, tamen longe diversa fuit eorum conditio a scribis reliquisque apparitoribus, quae diversitas iam inde apparet, quod de collegio accensorum nihil omnino traditur, cum apparitorum publicorum omnia genera in collegii formam abierint. Omnium scribarum et reliquorum eorum hominum munus etsi infimum publicum tamen erat, accensorum vero privatum et maxime libertorum. Quam consuetudinem, ut patroni libertis accensis uterentur, commemorat Cicero (ad Qu. fr. I, 1, 4) multique lapp. confirmant.

*) SCtum (Frontin. c. 110) de curatoribus aquarum; cf. Marini Arvali p. 246. Frequentius etiam inveniuntur servi publici sacerdotiis attributi, v. Orell. 2853. Marini p. 211 sq.; quos re vera populi fuisse etsi non ignoratur, tamen iuverit addidisse illustre exemplum eiusdem hominis, qui modo se ait servum Deae, modo servum reipublicae in his duobus lapp. Volsiniensibus relatis ab Adami (storia di Bolseno II, p. 154) aliisque.
DEIS. DEABVSQ || PRIMITIVVS || DEAE. NORTIAE || SER. ACT || EX. VOTO RVFIAE || PRIMITIVAE || CONTVBERN.... || SANCTISSIMAE || PRIMITIVVS || R. P. SER. ACT || B. M. FEC.

**) Accensi velati, de quibus alio loco egi, omnino huc non pertinent. — Falsus est *accensus* simpliciter positus Mur. 25, 3; *adiutores* denique *ad census provinciarum accipiendos* (Grut. 403, 5) hoc tantum cum accensis libertis commune habent, quod interdum simpliciter *accensus* audiunt (Orell. 3180 = Kellermann 282). Erant enim isti occupati in cura tabularum censualium, de qua re ita ad me scripsit Borghesius: „Post abolitos censores aliud censendi officium Romae extitisse dubitari „non potest, cui in Notitia dignitatum Imp. Occid. septimus locus inter „officia quae Praefecto Urbis suberant assignatur. Qui ei praeerat, in „cod. Theodosiano appellatur *magister census*, a Dione, qui solus exantiquioribus eius mentionem facit, τὰς τιμήσεις ἐγχειριζόμενος „(LXXVIII, 4), in titulo graeco C. I. G. 3497. *ΕΠΙ. ΚΕΝΣΟΝ. ΤΟΥ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ*, in latinis A. CENSIBVS (ut in lapide Fulginiate inedito quem tu mihi attulisti alioque Journal des Savans Nov. 1837 „p. 665); ex quibus omnibus apparet munus fuisse minime exiguum „solitumque dari post splendidissimas procurationes. Recte ad id retulisti Orellianam 3180 referremque quoque Muratonianam 25, 3, nisi

1. L. Licinius Secundus *accens(us) patron(o) suo Licin. Surae prim. secundo tertio consulat. eius* (p. Chr. 98. 102. 107) IIIIII vir. Aug. col. Tarracon. = **Orell. 3127.**

2. C. Oppius 6. C. Leonas *adcensus patron* [cos.] = **Grut. 68. 3** et alia eiusdem hominis **Grut. 446, 4.**

3. viator tribuni[ius.] *accensus a patron*[*o*]. allectus IIIIII vir. Aug. veter Fabrateria = **infra viat. trib. n. 3.**

„esset maxime suspecta. Ab hoc magistratu pependerunt *publici ab „censu* Mur. 983, 5, *adiutores ad census* Kellerm. n. 30a, *scribae cen- „sorii* (Don. VIII, 37, qui tamen titulus admodum suspectus est) deni- „que *nomenclatores censorii* (Orell. 3231) sive *nomenclatores a censi- „bus* (Grut. 599, 4. 5. 630, 5. Maff. M. V. 257, 8.) Quos diversos esse „a tuis accensis, et ad censorium officium pertinere id probat quod „unus eorum dicitur *nomenclator censorius*." Quae scripsit ad me vir summus, ut errores quosdam meos corrigeret (ego enim, etsi reliqua recte intellexeram, tamen minus considerate nomenclatores a censibus retuleram inter accensos), apposui, ut discrimen inter eos qui sunt *ad census* quique sunt *accensi* melius intelligatur. Quod vero et ego antea senseram et Borghesius rescribendo confirmavit ab accensis non multum esse diversos *nomenclatores* simpliciter ita dictos, id nunc minime probo. Cum enim accensi non patronis solum, sed plerumque patronis consulibus operam se dedisse dicant, nomenclatores ad unum omnes simpliciter dicuntur Augusti, Caesaris, Potiti Messallae (L. Calpurnius L. l. Fullus *nomenclator Aug.* Grut. 598, 9; Ti. Claudius Ianuarius Gratianus *nomenclat. Aug.* Grut. 599, 1; M. Aurelius Facundus *nomenclator Caes. n.* Murat. 896, 8; T. Flavius Callistus Aug. lib. *nomenclat.* Iahn spec. p. 93; Tyrannus *nomenclat. Potiti Messallae* [cos. 722] Maffei M. V. p. 133, 8; M. Aemilius Lepidi [cos. 759] lib. Felix *nomenclator* Grut. 599, 2) neque novi ego ullum exemplum quo referantur ad magistratus. Nam Hermodorum praetorium (al. *praetorii, praetoris, praetori*) *nomenclatorem* (Fabr. 200, 490. Reines. XVIII, 22. Murat. 956, 1) consulto omitto, suspectus enim titulus est ex Langermannianis vel ex sched. Vat. et Barb. proveniens. Alius *praetorius nomenclator* Orell. 3232 item spurius est et confictus a Ligorio ad genuinae Grut. 630, 3= Orell. 3231 exemplum, uti et alter titulus Grut. 14, 13. Quae cum ita sint, etsi negotia accensorum et nomenclatorum non multum diversa fuerunt (v. lapidem Mur. 537, 3 *M. Aurelii Regini Aug. lib. nomenclator. ab amissione*, id est *admissione*), conditio tamen minime erat eadem; nomenclatores enim operam domesticam domino dabant, accensi publicam magistratui, ut eorum officium etsi privatum libertorum, tamen ad publici similitudinem accederet. Ita explicatur cur inter accensos servi non reperiantur, in nomenclatoribus haud pauci (vide praeter Tyranni lap. supra cit. Grut. 599, 3. *Hermogorus Felix Aug. nomenclator* et Donium c. VII n. 141. *Syneros C. Calvi Stolonis nomenclator*); explicatur quoque cum ex accensorum loco multi ad scribarum, viatorum, lictorum munera vere publica proveherentur, cur ex istis nomenclatoribus nemini id successerit.

4. Descripsit Borghesi in Villa Campanae Romae.

CN. CORNELIVS
MAGNI· L
OCEANVS . ACCENSVS
PATRONO . IN . COS
ANTIPHO . MAGNAE
SYNHETVS . MAGNAE . L
A . MANV

notatque pertinere ad cos. a. 758 Cn. Cornelium Cinnam Magnum.

5. Tibure repertam ineditam communicavit idem:

C . IVLIVS . AVG . L . SIN////////
PROC
ACCENSVS . DIVI . CLAVDI . ET
NERONIS . AVGVSTI
PATRONORVM

6. a cubiculo, proc a frum., *accensus patro* Mur. 769, 3. Cardinali iscr. Velit. n. 52.

7. Fortunatus Aug. lib. — — ab epistulis, *accensus patron. divo Aug. Vespasiano*, lictor curiat. viat. honor. dec. cos. et pr. = infra viat. cos. n. 7.

8. Antemus Ti. Caesaris Aug. l. a rationibus *accensus delat(ere) ab Aug.* = Orell. 2931.

9. Eutactus Aug. lib. proc. *accensus de lat(ere) a Divo Vespasiano* = Mur. 899, 2.

10. M. Livius Aug. lib. Secundio *accensus Drusi Caesaris et alumnus* = Grut. 598, 8, quam interpolavit Ligorius Mur. 907, 11 et magis etiam 742, 7.

11. M. Abonius Acanthus $\overline{\text{IIIIII}}$ vir aug. *adcensus cos* = Maffei M. V. 480, 2.

12. Q. Considius Q. l. Eros viator aed. pl. l. Papiria, Lupercus Quinctial. vetus, *accensus cos.*, magister trium decuriar = infra scrib. quaest. in fine.

13. T. Tettienus Felix Augustalis scriba librar. aedil. cu-

rull., viator aedil. plebis, *accensus consuli* = infra scr. aedil. n. 27.

14. Quartio IIIIII vir *accens. cos* = Ursati mon. Patav. p. 26.

15. P. Fultonius P. L. Apollonius *mag. vici accens.* = Marini Arv. p. 496 qui male expl. ind. p. LXV.

Posui accensorum lapides omnes quotquot novi, cum simillima fuerit eorum conditio et apparitorum publicorum, quae res inde iam intelligitur, quod plurimi utroque officio functi sunt. Ne tamen discrimen ignores, accensorum operae non erant perpetuae (vide e. c. inscr. n. 1) ut aliorum apparitorum, ideoque cum illi causa perpetua carerent, collegium constituere non poterant; deinde cum apparitores post publicam quandam δοκιμασίαν publice nominarentur, accensi patronorum voluntate et creabantur et deponebantur. Unde in lapidibus accensi referuntur ad unum aliquem magistratum, apparitores publici ad ipsum munus diciturque accensus Surae consuli, viator qui consulibus apparet *). — Consimili ex causa praetermitto ap-

*) Borghesius cum approbasset quod ego posueram de qnattuor solis generibus apparitorum, scribis lictoribus viatoribus praeconibus, ita de accensis rescripsit. „Accensorum officium tibi videtur ad tempus „fuisse et privatum neque mercedem eorum ex aerario esse erogatam. „Obstat tamen SCtum a Frontino relatum, quod ait: *Placere eos qui „aquis publicis praeessent cum eius rei causa extra Urbem essent licto- „res binos et servos publicos ternos, architectos singulos et scribas et „librarios accensos praeconesque totidem habere quot habent ii per quos „frumentum plebei datur. Cum autem in urbe eiusdem rei causa aliquid „agerent, ceteris apparitoribus iisdem praeterquam lictoribus uti.* Re- „censentur hic accensi inter apparitores eademque ratione ut ceteri a „praefecto aerario mercedem accipiunt. Re tamen melius considerata, „omissis servis publicis et architecto, qui ex peculiari ratione curatori „aquarum attribuebatur et coniunctis scribis et librariis [vel melius ex- „puncta particula *et*] restant solita quatuor genera apparitorum, nempe „lictores, scribae, accensi, praecones, eo solo discrimine, ut pro via- „toribus nominentur accensi. Cum tamen curatores aquae his carere „non potuerint (quis enim iis viam fecit intra Urbem ubi lictoribus „non utebantur, nisi viatores?) negotiaque accensorum, qui et ipsi ibant „ante magistratum (Suet. Iul. Caes. 29) a viatorum negotiis non diversa „fuerint, mihi viatores et accensi videntur iidem esse. Idem indicat „lapis Veronensis quem citasti (n. 3) VIATORI. TRIBVNICio ACCENSO. „A.PATRONo, qui non admittit supplementa longiora, si recte Maffei „eum repraesentavit. Id solum suspicari licet ut proximum inter licto-

paritores magistratuum provincialium, quos magistratus ex Urbe secum educere eodemque provincia deposita reportare consuerant, ut et ipsi ad tempus tantum operam darent neque in collegii formam redigerentur. Quod diversum erat in officialibus urbanis. Etsi enim hi quoque re et origine annui erant ut magistratus ipsi, tamen mox videbimus qua ratione munus eorum perpetuum evaserit et collegia constituerentur. Quae res fecit, ut urbanorum officialium memoriam multi lapides servarint, provincialium soli auctores. Cf. quae dicta sunt in fine cap. de app. mag. municip. De municipalium magistratuum apparitoribus ad urbanorum exemplum constitutis in fine pauca addemus.

Restant itaque praesertim *scribae lictores viatores praecones* *), quorum lapides componam. Hos omnes cives Romanos fuisse testantur inscriptiones, esse debuisse praeter

„res, ita unum ex accensis intimum fuisse et proxime praeivisse, qui „inter augustales fuerit accensus de latere, eumque licuisse eligere „magistratui, ad exemplum proconsulum tempore liberae republicae „(Cic. ad Qu. fr. 1, 1, 4), ut tamen et ipse mercedes ex aerario acciperet „et hunc fuisse constitutum ad tempus consulatus". Haec Borghesius. Lapis Veronensis certe nihil probat neque ibi coniungendus est *viator accensus*, cf. n. 5; sed recte notavit Borghesius accensos et viatores eodem officio functos esse ideoque in SCto pro viatoribus positos esse accensos. Attamen non ideo improbavi quae de accensis in lapp. supra notatis scripseram; nam constans est usus supra expositus, ut viator consulibus apparuisse dicatur, accensus consuli (vide praesertim n. 1. 2. 4. 13.) neque intelligo cur tot lapides ad unum accensum proximum referre debeamus, praesertim cum de hoc alias minime constet et in huius coniecturae gratiam solummodo excogitatus sit. Sane aliud dicendum esset, si aliquando *accensum consularem* sive *consulibus* in lapp. offenderemus; ut nunc res est retento eo discrimine quod supra proposui dicemus consulem praeter viatores, qui dabantur a republica, accensos quot vellet ex libertis suis sumsisse et utrorumque opera promiscue usum esse; raro autem et minus proprie viatores accensos quoque appellari. Quod factum est in SCto Frontoniano; et ne quis miretur legem ita loqui, fecit eo loco, quo se refert ad aliam legem ubi de ea re accurate cautum erat.

*) Quaedam ex his nominibus, nimirum scribarum et praeconum, ad artes et opificia quoque pertinent, quod monere sufficit. Scribae praesertim eiusmodi frequentissimi sunt; quin quod invenitur SCRiba LIBRARIA Orell. 4212. Nam male correxerunt ibi SERva; vidi ego lap. in Mus. Borbonico qui clare habet SCR. In titulo scr. quaest. n. 4 idem videtur dici primum SCR., deinde ubi munera recensentur *scr. q. se*XS *p*RIMVS.

Dionem XLVIII, 6, 43 Sullae lex de XX quaestoribus v. 6 al. *de eis quei cives Romani sunt viatorem (praeconem) unum legunto.* Mercedem accepisse eos eadem lege praecipue edocemur; quod si SCtum de curatoribus aquarum, ubi sermo est de apparitoribus servisque publicis, de mercede cibariis annuis dandis attribuendis cavet, mercedem refero ad apparitores, cibaria annua ad servos publicos. Quod attinet ad rationem pecuniae solvendae, ex SCto cit. apparet magistratus quorum opera uterentur eorum nomina ad eum detulisse qui aerario praeerat et hunc singulis solvisse quod debebatur. Eo pertinet etiam, quod in fine legis Corneliae nomina viatorum praeconum decuriatim conscribi iubentur in tabulis *ad aedem Saturni in pariete intra caveas* affigendis, nam ea aedes erat aerario contigua. Quantam mercedem in annum acceperint, ignoratur; Martialis versus: *Artes discere vult pecuniosas? Praeconem facias vel architectum* ad privatos magis quam ad publicos architectos praeconesque referes. Scribarum certe mercedes (nam diversam omnino acceperunt diversa apparitorum genera) satis amplae erant et honestati ordinis accommodatae. — Implicatior est quaestio, qua ratione ad officium admitterentur; contraria enim videntur gravissimorum auctorum testimonia. Livius XL, 29 L. Petilium scribam in decuriam lectum esse a Q. Petilio quaestore auctor est, eamque lectionem lex Cornelia luculenter confirmat; contra si audimus Ciceronem Verr. III, 79, decuria scribis emitur, itaque traditur in vita Horatii poetam sibi scriptum quaestorium emisse similiterque in doctis scholiis ad Iuven. V, 3 M. Favonium Sarmentum egisse equitem Romanum et decuriam quoque quaestoriam sibi comparasse *). Explicatio petenda est a lege Cornelia, quae accurate de apparitoribus legendis cavet; etsi molestum est quod non proponit rem novam, sed in

*) Emtio decuriae memoratur quoque in duobus lapidibus Reines. X, 3 = Mur. 298, 3 et in Perusino fragmento apud Vermigliolium p. 428; sed cum in his decuriis servi quoque recenseantur, non fuerunt apparitorum, sed potius referendae sunt ad familiam Augusti et ipsam decuriatam.

antiqua lectione ea corrigit, quae aucta quaestoris officia postulare videbantur; ita enim factum est, ut nobis, qui legendi modum antiquum ignoramus, multa in lege satis obscura sint. Id omnino agitur, ut pro tribus viatoribus tribusque praeconibus, quot adhuc singulis annis quaestoriis quaestori urbano ad aerarium apparuerant, quattuor substituantur sive ut singulorum annorum decuriae (ita enim minus proprie terni isti homines dicuntur) singulis hominibus augeantur. Quod cum extra ordinem in tres annos proximos quaestorios (qui anni quaestorii incipiebant a die qua magistratum quaestores inibant, i. e. a Nonis Decembribus) statim ante K. Dec. eius anni quo lex ferebatur, facere iubeantur consules, sequitur ut eo tempore, quo lex ferebatur, tres decuriae trium annorum proximorum iam per ordinariam lectionem (vide v. 49. 50) ordinatae essent; nisi fuissent, ad quaestorem res spectasset, cui ordinaria lectio quaternorum datur, ut ternorum semper habuerat. Unde efficitur quaestores non legisse sui quemque anni apparitores, sed eos, qui post triennium ad aerarium apparerent; neque id ratione caret. Nam ita factum est, ut sine mora quaestori novo apparitores adessent cautumque, ne quaestor fraudulentus sceleris ministros sibi seligeret. Quid quod ob id ne extraordinaria quidem lectio quaestori permissa est. Errat tamen, qui tres decurias viatorum quaestoriorum statuit fuisse, lapides enim omnes non norunt nisi unam solam, neque contra dicit lex Cornelia. Nam etsi anno 80 a. Chr. (ut eo anno latam legem ponamus) decuriae annorum 79. 78. 77 ordinatae erant, tamen ideo non magis fuerunt eo anno plures decuriae quam plus duo consules eo tempore quo Caesar consulatus in quinquennium dederat, sed in singulos annos constituti erant decuriae quaternorum viatorum, quos tantum abest ut necesse sit diversos fuisse in singulos annos, ut eosdem fuisse plerumque credam, nec more solum, sed ex ipsa lege. Ita enim cautum est v. 54 sq. *dum ni quem — in eius viatoris locum legant sublegant quoius in locum per leges plebeivescita viatorem legei sublegei*

non licebit. Legibus igitur et plebiscitis comprehensae erant rationes, per quas in viatoris scribae praeconisve locum alium legere viatorem cet. quaestori licebat, id est, nisi certa causa apparebat cur refici non posset, eundem viatorem facere necesse erat. Ita munus, re ipsa annuum, cum penderet ex voluntate annui magistratus, imminuto postea legum beneficio arbitraria magistratus lectione perpetuum evasit, ut qui id sibi compararat haberet unde totam vitam sustentaret. Perpetuum monstrant lapides omnes, quorum nullus iterationis notam exhibet. Sed ulterius etiam processerunt beneficia apparitorum; ex lege citata enim ius eis erat, causa proposita cur ipsi non possent decuriam administrare, *vicarium dare subdere quem quaestores accipere oportebat.* Quod est ipsa illa venditio decuriae, quam supra commemoravimus; ius enim vicarii dandi ita tantum differt a libera decuriae venditione, ut emtorem nisi esset persona idonea quaestor repellere posset. Vicarii isti nominantur denique in antiquissimo titulo lapidi Tiburtino inscripto (Marini atti p. 675. Orell. 3202): *Hoc monimentum apparitorum praeconum aedilium veterum vicariûm est et posterisque eorum.* Apparitores praeconesque aedilium pars veteres erant, pars vicarii sive emtores, quod idem plane cadit in scribas reliquosque. Conferendus est cum Romano hoc titulo sequens quem ego in Samnio peragrando reperi Saepini:

L . NERATIO . L . F
VOL . PRISCO
PRAEF . AER . SAT . COS
LEG . PR . PR . INPROV
PANNONIA
SCRIBAE . QVAESTOR
ET . MVNERE . FVNCTI
PATRONO

Quae inscriptio praeterquam quod docet pependisse scribas quaestorios ut olim a quaestore urbano cum is aerario praeesset, ita postea a praefectis aerario Saturni, sola est quae cum scribis quaestoriis coniungit munere functos. Quod quo

pertineat, dubitari potest; videntur tamen isti munere functi ii esse qui decuriam suam vendiderunt. Quos ut sepulcri communis ius retinuisse ex inscriptione monumenti praeconum aediliciorum constat, ita omnino nomen, locum honoremque retinuisse et in collegio quod obtinuerant ita remansisse, ut in epulis sacrisque decretisque honorificis simul interessent, Romanae consuetndini convenit.

His praemissis, quae etsi non traduntur de omnibus apparitorum generibus, tamen ad omnia referenda sunt, de singulis classibus videndum est quaenam sint constituendae. Et quidem observatur magna diversitas inter apparitores magistratuum maiorum et minorum. Maiorum enim apparitores, i. e. imperatorum consulum praetorum censorum (v. praec. cos. I) aliorumque non inferioris honoris, etsi singuli singulis magistratibus apparebant, tamen apparitores eiusdem generis omnes in eodem collegio erant; quod plane contrarium est in magistratibus minoribus. Ita e. c. viatores consulum praetorumque unum collegium efficiebant, viatores aedilicii et tribunicii duo diversa. Neque aliter esse potuit. Magistratus enim maiores initio non fuerunt diversi, praetores erant eodem iure eodemque imperio quo consules, imperatoresque in omnibus rebus consulum praerogativam sibi attribuerunt; contra aediles et tribuni origine et imperio quam maxime inter se distabant, quod apparitores utrorumque non potuerunt non imitari. In magistratuum maiorum apparitoribus, de quibus primo loco disseremus, distinguentur tria genera lictorum viatorum praeconum; scribas non habuerunt, nisi quod de sua publicave familia operis uti potuerunt cum opus erat; neque id mirum est, scribae enim non dati sunt ut ab epistolis essent magistratibus, sed ut adiuvarent in tabulis librisque conficiendis, unde dicti sunt *librarii*, non *cerarii*. Tabulas autem conficere non consulum erat, sed quaestorum. Quibus ordinibus adiungemus apparitores quibus in sacris magistratus utebantur, lictores curiatos victimarios pullarios; aderant enim et ipsi maioribus magistratibus quorum erant auspicia. Ma-

gistratuum autem minorum ministri disiuncti erant, ut diximus, et suis quique magistratibus solis addicti, ut apparitores quaestorum, tribunorum plebis, aedilium curulium, praeterea aedilium plebis et III virum capitalium IIII virum viarum curandarum, denique vicomagistrorum plane inter se diversi essent. His omnibus lictores non fuisse notissimum est; contra quaestores, aediles curules, tribuni habuerunt et scribas et viatores et praecones, nisi quod aediles viatoribus caruerunt. Aedilium plebis reliquorumque magistratuum ratio singularis est neque hic per indicem exponi potest. Rem vero ita instituam, ut primum cuiusque classis exempla componam, deinde subiungam, quae adnotanda videntur.

A.

Apparitores magistratuum maiorum.

I. Lictores cos. et pr.

1. Q. Cossutius Q. l. Speratus *lictor ex* $\overline{III}$ *decuris qui magistratibus apparent* = **Fabrett. 159, 276.**

2. Ti. Claudius Scythopolitanus *lictor trium decuriarum* = **Reines. XI, 20c Piccart. Cardinali iscr. Velit. n. LIII.**

3. Ti. Cl. Antigonus *lictor III dec.* = **Grut. 630, 10.**

4. C. Cornelius Felix *lictor III decuriar.*

C. Saufeius Epaphroditus *lictor III decuriar.* = **Don. VIII, 36. Mur. 947, 9. Fabr. 126, 43.**

5. L. Tullius L. f. Pater *lictor III decuriar.* = **Grut. 630, 11** ex emend.; nam **Mazochi f. 83, 4** dat. ***IIII decuriar.***

6. L. Volusius Primanus scrib. libr. $\overline{q}$. III dec. et *lictor III dec.* = **Reines. XI, 18. Donati 324, 7. Anecd. Rom. III, 474. Visconti op. var. I, 113. Fea fasti p. XXXIV.**

7. L. Maelius Successus *lictor decurialis* = **Mur. 318, 1.**

8. Ti. Claudius Esquil. Severus *decurialis lictor* = **Grut. 391, 1.**

9. Q. Nasidius Severus *lictor decur.* = Mur. 760, 6 prope Nicomediam.

10. L. Roscius Encolpus *decurialis decuriae licto.* = optime Marini I. A. p. 123., praeterea Grut. 681, 1. Murat. 974, 7. Fea fasti p. XXXIII.

11. L. Pompeius Aug. lib. Fortunatus numenclator acensus *lictor Aug. III decuriar.* = Grut. 630, 5. Iahn spec. epigr. p. 93.

12. L. Aninius L. l. Eros *lictor Augusti Caesaris* = Mur. 886, 10. Arsulis.

13. L. Tossius L. f. Luc. Pius Trebonius Sabinus *lictor Imp.* = Fea fasti p. XXXV. Vidi ego quoque Romae in hortis Vaticanis.

14. Persicus libertus manumissus at consilium procuratoris nom. apud Domitian. Caes. in secun. cos. *exercuit decurias duas viatoria et lictoria consulares* = Mazoch. f. 173. Grut. 631, 2. Orell. 2676.

15. P. Aemilius P. f. Nicomedes pater *decurialis decuriae lict. cos. trium decuriar. X primus*, item decur. lictor. popularis denuntiat. Xprimus, item praeco aedilium curul. Xprimus = Murat. 669, 7. cf. Marini Arvali p. 626. Orelli 3216.

16. P. Aemilius Nicomedes iun. — — — — *d. III inter decem primos* = Mazoch. f. 106. Grut. 348, 7. Orell. 3757. Lapis corruptus est neque facile dicendum, quid lateat in vocabulo DOMINO post nomen P. AEMILIO. NICOMEDI. IVN.; sane non est DOMI NObili ut voluit Hagenbuch, sed latet officii accuratior determinatio. Lictoribus attribui non alia de causa nisi quod patris titulus (n. 15) eo quodammodo ducit neque ab eo hunc separare volui. Videtur lapis fractus a dextra et male suppletus; unde habemus v. 9. *Publiam Aemiliam*, quae sane non fuit in marmore. Tentavi varia ut *lict.* IN. D. III, ut ex praepositione IN male effecerint DOMIN. s. DOMINO; vel melius fortasse *lictori* DOMINO. D. III, ut supra habuimus *lictor Aug. III dec., lictor imp.* Res tamen est incerta.

Adde his lictores proximos:

17. M. Ulpius Aug. lib. Phaedimus Divi Traiani Aug. a potione item a lagena et tricliniarch. *lictor proximus* et a comment. beneficiorum = Grut. 578, 1. Orell. 794.

18. M. Valerius Achilleus *lictor proximus* Laurens Lavinas = Grut. 630, 6. Orell. 3218.

Sequuntur denique lictores simpliciter dicti, in quibus erunt curiati, populares, municipales quoque, sed distingui non possunt ne hi quidem cum locus ubi lapis inventus est non multum probet; ut e. c. M. Ulpius Phaedimus n. 16 Selinunte mortuus est.

19. Ti. Claudius Festus *lictor* idem decurial. decuriae pullariae = Orell. 5010. Fea fasti p. XXXII.

20. M. Coelius Dionysius *lictor* = Grut. 631, 4 Montfaucon diar. Ital. p. 150 ex hoc lapide lictoris imaginem aeri incisam dedit.

21. M. Cornelius M. l. Apollonius *lictor*
M. Cornelius Q. l. Macedo *lictor* = Marini Arv. p. 269.

22. L. Helonius L. l. M. . . . *lictor* = Mur. 2045, 4. Romae.

23. C. Papirius C. l. Hermo *lictor* = Borghesi oss. num. dec. XVII. oss. 7. Parisiis in museo.

24. C. Pompeius Nymphicus *lictor* = Donat. 321, 1.

25. M. Servilius M. l. Rufus *lictor* = Grut. 631, 5. Romae.

26. Sex. Titinnius Martialis *lictor* = Mur. 980, 7.

27. C. Trebius Hermes *lictor* = Fabretti 710, 313, Anecd. Citt. I, 472. Romae.

28. L. Trebonius Philetus *lictor* = Mur. 981, 3.

29. M. Vibius Felix *lictor* = Donatus 322, 1. 2. *).

Erant igitur tres decuriae lictorum qui magistratibus**) appa-

*) Grut. 317, 7 *T. Ael. Malco. lictori* (al. *tectori*) *eq. praetorian. coh. III pr.* incertae lectionis est neque ad lictores pertinet cum in his hominem militarem nullum invenerim.

**) Notandum est magistratus hic usurpari de solis magistratibus cum summo imperio, quod redit in prima inscr. viatorum cos., ubi dicuntur viatores qui cos. et pr. ceterisque magistratibus apparent.

rebant (n. 1) itemque Augustis et Caesaribus, quod comparatio viatorum qui Caes. et cos. et pr. apparebant indicat, inscr. II *lictoris Aug. III decur.* comprobat. Unde etiam sequitur lictores Augusti n. 12. 13. lictoresque proximos n. 17. 18. tribus decuriis adscriptos fuisse. Idem sane ac *lictor trium decuriarum* est lictor decurialis (7. 8. 9.), nam decuriales sunt qui sunt in decuriis. At *decurialis decuriae lictoriae* n. 10. haud paullum recedit a Romana consuetudine loquendi, nam qui addictus est corpori in partes diviso, solet partibus pro toto uti et ex omnibus partibus socium se praedicare, minime vero ex una ea parte, quam re vera obtinet. Cuius usus plura exempla collegi de tribubus p. 86, unde sufficit hic commemorasse iudices qui ex quinque decuriis, nunquam ex prima secundave dicuntur. Quare haud scio an male Encolpum inter lictores consulares retulerim, cum referendus fuisset ad lictores curiatos vel vicomagistrorum, quorum re vera erat una decuria. Quodsi re vera fuit ex tribus decuriis, eo confugiendum est, ut statuamus primam eorum, quae consulibus apparebat et imperatoribus (quod demonstrabitur in praeconibus consularibus), ita et numero et honore prae reliquis duabus crevisse, ut non solum ubicunque certa aliqua decuria commemoretur, ea sit prima consularis (n. 14. 15. 11. 12. 13. Cod. Theod. l. infra cit.), sed decuria quoque lictoria consularis appellata sit simpliciter *decuria lictoria.* — Ex tribus decuriis magg. maiorum et Augustorum una consulibus permissa est, quae dicitur *decuria lictoria consularis* in lapp. n. 14. 15. et in cod. Theod. L. VIII t. 9 C. I *(ordines decuriarum scribarum librariorum et lictoriae consularis)* *). Quam comprehensam fuisse in tribus decuriis inde apparet, quod P. Aemilius Nicomedes, qui in tribus decuriis erat decemprimus, ut munus accuratius etiam indicaret addidit se fuisse decurialem decuriae lictoriae consularis. Nam decurialis

*) Lapis Reines. L. I, 19 *ordinem lictorum III, decuriarum cos.* commemorans, quod male convenit cum una decuria lictoria consulari lapp. genuinorum, aperte falsus est et Piccartianus. Gud. 6, 7 eundem dedit e codici Redii.

et decemprimi officia si in duobus collegiis habuisset, *item* hic quoque inserendum erat ut postea factum est. — In reliquis duabus decuriis erant ceterorum magistratuum lictores, neque tamen vicomagistrorum s. populares, qui in eadem inscr. n. 15 diserte opponuntur decurialibus trium decuriarum. Ne lictores curiatos quidem fuisse puto in tribus decuriis, cum isti dicantur esse ex decuria curiatia quae sacris publicis apparet; accedit, quod in tot lictorum curiatorum titulis ne unus quidem trium decuriarum mentionem facit, in tot lictorum ex tribus decuriis nullus decuriam curiatiam nominat. Relinquuntur ita duabus alteris decuriis lictoriis lictores praetorum qui in Urbe erant — reliqui enim ordinarii magistratus urbani liberae reip. tempore lictoribus carebant — sacerdotumque, ut flaminis Dialis et virginum Vestalium lictores ex decuria curiatia sumti videntur. Quare antequam forma reip. mutaretur et in imperatorum gratiam ut alia omnia ita lictorum quoque numerus ordoque perturbarentur, tres decuriae fuerunt, una consularis, duae praetoriae. Illam fuisse XXIV hominum, facile patet, cum duodenis fascibus consules uterentur; praetores sub finem reip. cum octoni singulis annis crearentur omnesque morarentur in Urbe, usi sunt XLVIII lictoribus. Unde apparet singularum decuriarum numerum eundem fuisse, id est vicenorum quaternorum hominum et optime convenit, quod senatus Caesari cum dictator tertium quatuor triumphos ageret, concessisse lictores LXXII, nimirum quotquot erant in tribus decuriis (Dio XLV, 14, 19.). Trium decuriarum ordinatio denique ad id tempus referenda est, quo praetores numero aucti et iudiciis destinati sunt. — Ceterum *exercere decuriam viatoriam et lictoriam consulares* in lap. n. 14 sive, ut est in lapide viat. cos. n. 17 *habere decuriam viatoriam consularem* non significat praeesse decuriae, neque adhuc lapides dederunt decuriae magistrum, quos omnino non puto extitisse (v. infra in scr. quaest.); sed comparata locutione ICtorum de nave vel taberna exercenda ita est accipiendum ut significet *hoc negotio agendo vitam*

sustentare. Qui homines igitur non erant nisi decuriales. Ut autem magistri non inveniantur, certe lapides dederunt *decemprimos* (n. 15. 16.), ut in tribus decuriis scribarum quaestoriorum inveniuntur *sexprimi* itemque ordinem utrorumque commemorari in codice Theodosiani vidimus. Sed de hac re sermo redibit ubi agetur de sexprimis; eadem enim utrorumque ratio est, sed sexprimorum paulo melius nota.

2. Viatores cos. et pr.

1. Imp. Caesari — Hadriano — *viatores qui ipsi et cos. et pr. ceterisq. magistratib. apparerent et h. u.* = **Grut. 154, 6, titulus honorarius positus p. Chr. 118.**

2. Imp. Aelio Caesari Antonino imp. — Hadriani — filio — *viatores qui Caesarib. et cos. et pr. apparent et h. u.* = **Grut. 256, 4. 5,** titulus honorarius anni p. Chr. **138.**

3. *viator qui ca[es] et cos. et pr. appa[ruit]* idem vestiarius tentuarius [*scr.* tenuiarius] = **Don. VIII, 35.**

4. Neritus Divi Claudii [lib.]. princeps officii imper. *viator appa[ruit Augusto]* = **Grut. 599, 6.**

5. Liconius Fal. Varia *viator Caesar* = **Mur. 1018, 8.**

6. L. Faenius L. lib. Prosdectus *viator qui cos. et praetoribus apparuit* item quinquennalis collegi Anto[niani] = **Gud. 208, 1, melius Mur. 700, 2.**

7. Fortunatus Aug. lib. verna paternus ab epistulis, accensus patron. divo Aug. Vespasiano, lictor curiat., *viat. honor. dec. cos. et pr.* = **Grut. 586, 6. Orelli 3197. Vidi Florentiae in Museo publico.**

8. C. Plotius Atedianus Asiaticus *viator cos. pr.* = **Grut. 627, 3.**

9. T. Staberius Secundus coactor argentarum *viator consularis et praet.* = **Grut. 626, 1. Orell. 3252;** cf. **Grut. 76, 2.**

10. [M] Sutorius M. l. Pamphilus lictor curia[t. a s]acris publicis P. R. Quiritium *viator qui cos. et pr. apparet* decurio

conlegi fabrum ferrarium. M. Sutorius M. l. Barnaes *viator qui cos. et pr. apparet* = Grut. 632, 1.

11. L. Tullius Diotimus *viator qui consulibus et praetoribus apparuit* = Grut. 1033, 5.

12. M. Valerius Admetus *viator pr. et cos.* sevir aug. = Fabrett. 410, 349. Nibby contorni di Roma I, 40.

13. M. Claudius Musaeus *dec. viat. consul.* = Don. VIII, 34. Murat. 945, 1. Fabrett. 717, 384. 743, 517.

14. T. Staberius Epigonus *viator consularis* = Grut. 627, 2.

15. . . Vetulenus L. f. Pal. Proculus Anthianus *viator cos.* = Orelli 3251. Galetti Capena p. 12.

16. Persicus libertus — *exercuit decurias duas viatoria et lictoria consulares* = supra lict. cos. n. 14.

17. Tutichylas — — qui fuit margarit. *Hic habuit dec. viat. consularem* et colleg. dentr. Rom. $\overline{qq.}$ $\overline{pp.}$ fuit. = Mur. 515, 5. Orell. 4076.

18. L. Licinius L. fil. Pal. Herodes eques Rom. *decurialis decuriae viatoriae equestris cos.* [Sequuntur multi honores municipales quos obtinuit Ostiis] = Marini Iscr. Alb. p. 56 Orelli 2204.

Viatorum simpliciter ita dictorum pauca quae novi exempla ad viatores quaestorios reieci. — Viatorum consularium quot decuriae fuerint, ex lapidibus certo effici non potest. Quod in lapidibus non paucis nullus trium decuriarum mentionem facit, unam decuriam viatorum consularium et praetoriorum fuisse indicat, etsi praeconum quoque eorum magistratuum tres decuriae ex unico lapide innotuerunt. Contra ad tres decurias viatorum statuendas ducit frequens commemoratio decuriae viatoriae consularis (n. 13. 16. 17. 18.), ubi consules brevitatis causa pro omnibus magistratibus Romanos positos esse qui credit, non explicabit, cur tres decuriae lictorum qui magg. apparent nunquam dicantur consulares, sed consularis appelletur ea sola decuria, qua re vera consules utebantur. Denique cum hac decuria lictoria consulari ita componitur viatoria consularis n. 16, ut idem de utraque statua-

mus necesse sit. Neque omittendum est cum tria sint genera apparitorum magistratuum maiorum, constare de duobus (lictoribus nempe et praeconibus) ternas utrosque decurias habuisse, quarum primam occuparent apparitores consulares eius ordinis id quod sane multum facit, ut de tertio quoque ordine qui est viatorum, idem obtinuisse arbitremur. Obstat quidem inscr. Fortunati n. 7. si ibi commemoratur VIAtor HONORatus DECuriae COnSularis ET. PRaetoriae, sed id ipsum facit ut accipiamus eam de VIATore HONORato DECuriali COnSulari ET. PRaetorio.

Quod attinet ad *Honore Vsos*, in titulis honorariis ponendis viatoribus subiunctos (n. 1. 2.) quod eadem plane ratione observabimus in pullariis, ubi post *decuriales decuriae pullariae* sequuntur *h. u.* *), rem explicat inscriptio Saepinas supra relata p. 6, quae posita est a *scribis quaestoriis et munere functis.* Munere enim functos et honore usos eosdem esse patet, praesertim cum utrique inferiorem locum obtineant quam ipsi decuriales. VIATor HONORatus, qui est in solo lap. n. 14, num ad honore usos referendus sit valde dubito. — Multo difficilius est explicare quae fuerit decuria ista viatoria equestris consularis, quam novimus ex unico lapide L. Licinii Herodis equitis Romani n. 18. **) Borghesii opinio, quam in nota plene apposui ***) eo redit, ut seculo ter-

*) Praeterea *honore usi* non inveniuntur nisi in municipalibus titulis Urbinatibus, et ibi inferiori quoque loco, ut haec explicatio ad eos quoque pertineat mutata scilicet ita ut rerum diversitas postulat.

**) Nam Teanensis lapis, quem produxit Pratilli via App. p. 228 et ex eo, ut videtur, Broccoli (Tiano Sidicino p. 369):

. . . . ECILI. CAECILIANI . SEX . OVINI
. VIATORIS . EQVITIS
. . . . PATRIS . KARISSIMI . MA
. . . . ENCOM

in censum non venit, cum suspectus sit ut reliqui Pratilliani; etsi inter Teanenses Pratillii multi genuini sunt. Certe lapidem eo loco, quem indicat Pratilli, diligenter quaesivi, sed frustra et Teani nunc non extare asseverare possum.

***) Quod Marini iscr. Alb. p. 120 de hac decuria dixit, merus error est; decurialem enim decuriae non fuisse decurialem trium decuriarum (viatoriae, equestris, consularis ex Marinii sententia) non potest negari. Neque quae dixit Labus in nota ad p. 29 diss. mihi non visae Morcellii de lictoribus (Milano 1828), ut Marinium contra Ab. Bordam

tio (cuius est lapis commemorans Divum Severum) cum magistratus curribus uterentur, viatores quoque consulares pedibus ambulare desierint et equis impositi currum anteierint. Sed valde dubito, num viatores equestres accipi possint de hominibus equo insidentibus; homines equestres non significant equo vectos sed equestris ordinis quod confirmatur cum conditione equitis Romani L. Licinio Herodi attributa tum eo quod in tot viatoribus consularibus hic solus repertus est homo honestus (vide in fine diss.). Praestat igitur comparare ea quae Sueton. c. 14 de Domitiano tradidit, senatum decrevisse ut quoties gereret consulatum equites Romani quibus sors obtigisset trabeati et cum hastis militaribus praecederent eum inter lictores apparitoresque. Quod quidem ille recusavit, neque possunt esse equites Romani isti sorte lecti iidem ac viatores consulares; sed potuit seculo tertio, quo nullum

defenderet, causam Marinii iuverunt et facile probavit Marinii adversarius lapidem Herodis pertinere non ad tres decurias, sed ad unam viatoriam consularem hic dictam praeterea equestrem propter, ut Bordae videbatur, quod equis usa est eo tempore, quo positus est Herodis titulus, nempe post imperium Alexandri Severi vel Caracallae. Quam explicationem ut commendaret ita scripsit Borghesius: „Inde a Traiani et „Hadriani tempore consules curribus vehi coeperunt, cum in ineundo „magistratu, quod ostendunt nummi, tum in aliis occasionibus e. c. in „Circensibus (Iuv. Sat. X, 36). Imperante M. Aurelio ne minores qui„dem magistratus vehiculis abstinebant; ait enim Spartian. c. 2 de Se„ptimio Severo tum legato proconsulis Africae: *Cum eum quidam mu„nicipum suorum Leptitanus praecedentibus fascibus ut antiquum contu„bernalem ipse plebeius amplexus esset fustibus occidit. . . . Ex quo „factum est, ut in vehiculo etiam legati sederent, qui antea pedibus am„bulabant.* Sub Alexandro Severo denique curribus utebantur cum ma„gistratus omnes tum ipsi senatores; Lamprid. Alex. 43: *Carrucas Ro„mae et rhedas senatoribus omnibus ut argentatas haberent permisit, „interesse Romanae dignitatis putans ut his tantae urbis senatores vecta„rentur.* Moribus ita mutatis, cum non requirerentur amplius viatores „qui magistratum a turbae impetu defenderent, servatis lictoribus pe„destribus ad actus solemnes, in aliis occasionibus magistratus contenti „esse potuerunt viatoribus equis impositis, ut commode currum praece„derent populoque indicarent qui sequeretur, qua consuetudine nunc fere „principes utuntur. Quam meam opinionem non deponam propter rei „novitatem solam; multo magis enim recedit ab antiquo more, cum olim „magistratibus equo ne intrare quidem in Urbem liceret, postea eos li„bere iisse per vias in carruca vel carpento, unde Vopiscus in Aure„liano c. 1. *A Palatio* inquit *usque ad hortos Valerianos suo me et „iudiciali carpento accepit praefectus urbis vir illustris Iunius Tiberia„nus*, qui tum et consul erat u. c. 1044.“

adulandi genus praetermittebatur, simile decretum ferri in honorem alius imperatoris, ut in consulatu ineundo praesto ei essent viatores consulares ex ordine equestri, id est ut viatores consulares legerentur ex equitibus Romanis.

3. Praecones et apparitores cos. et pr.

1. Primum locum merito obtinebit inedita inscriptio extra Romam (alla Torre de Schiavi) a. 1830 reperta, quam Amati dedit Borghesio, Borghesius mihi:

C . MATIVS . AMPHIO . PATRONVS
PRAECO . EX . TRIBVS . DECVRIS
QVI . COS . CENS . PR . APPARERE . SOLENT
APPARVIT. CAESARI. AVGVSTO
MATIA . C. C. C. L · IVCVNDA . VXOR
C. MATIVS. VRBANVS. CONLIBERTVS
ARBITRATV. C.MATI. VRBANI. CONLIBERTI

2. *ordo decuriae Iuliae praec. cos.* ob merita M. Falcidi Cupiti *praeconis et apparitor. Aug.* = nov. Fior. 1781, 487. Orelli 4921. Exscripsi Neapoli in Museo unde corr. v. 3. HYPATIANO. Reperta est Romae intra urbem in vinea Marchionis Bussi in valle Quirini ad eccl. S. Vitalis, ubi videntur constitisse praecones consulares.

3. C. Calpurnius Sp. f. Col. Apollinaris *apparitor Aug. praeco dec. Iuliae* = Ita emendavi corruptum titulum quem Reines. IX, 9. Langermann. Gud. ind. p. CII. Fabrett. 704, 249 ex schedis Aegii, Mur. 891, 5 ex schedis Averoldi, 2042, 5 ex Ravennatibus produxerunt, Mur. in arce Ferentinati, Fabr. apud Argos, Reines. Ferrariae, Gud. Romae extare dixit. Fabrettium verum retulisse probat filii tribus Quirina communis Graecorum, cum Collina patris inde repetenda sit quod erat spurius. Sane in monstris his APPARITORI. AVG. PRAECONI. PECVLIAR. (Fabr. Rein. PECVLIARI) IVLIAE. M. F. VLLITTAE (al. IVLITTAE, FVLLITAE) MATRI latebit APPARITORI. AVG. PRAECONI. DEC. IVL. PATRI. IVLIAE. M. FIL. LITAE (?) MATRI; nam praeco peculia-

ris, quem alii inde exsculpserunt, res est nihili. Emendato praeterea in fine eius tituli pro CVI sive C. V = Q. V., id est *quaqua versum*, satis correcte procedet.

4. L. Aratius Phoebus *decurialis decur. Iuliae praeco-[num] consularis* = Grut. 36, 6.

5. L. Aufustius L. l. Felix *praeco cos.* = Fabr. 703,246. ex sched. Barb.

6. Marius L. lib. Doryphorus — — *praeco cos.* = Vide de hoc quae diximus in viatoribus sacerdotum. Suspectus titulus est.

7. Mercurialis tribunicius *apparitor Augg.* = Mur. 910, 10.

Paucissimi supersunt praeconum tituli neque id propter paucitatem praeconum, qui tres decurias implebant, sed propterea quod hoc apparitorum genus vilissimum et infimum erat. Unde lege Iulia cautum est ne ad honores municipales admitterentur (v. 104 *ne eum qui praeconium dissignationem libitinamve faciet IIvirum IIIIvirum renuntiato*). Quid mirum igitur quod turpe praeconis nomen monumentis inscribere noluerunt? Inter paucos autem qui supersunt praeconum titulos pars pertinet ad eos qui quaestus privati causa hoc munere fungebantur, qualis est Horatianus praeco *ad merces turbam qui cogit emendas* (art. poet. 419) et in lapidibus *praeco de Subura* (Grut. 625, 10) aliusque *de regione portae Capenae* (Grut. 626, 7) *), item *praeco et dissignator* Grut. 625, 11 aliique fortasse complures, quos ad utros referas neque constat neque refert. Praecones vero isti privati non dicuntur apparitores, quod est nomen praeconum publicorum usitatum et sollemne, cf. lex de repet. v. 49 *viatores apparitoresque* Val. Max. VII, 3, 9. Suet. Domit. 14., et quamquam ad omnia horum ministrorum genera pertinet, proprie tamen refertur ad praecones; vide tres primos titulos C. Matii, M. Falcidii et C. Calpurnii et inscriptionem p. 5 relatam, quae nominat *apparitores praecones aedilium veteres vicarios.* Unde

*) *Praeco de regione Palatina* Murat. 958, 5 Ligorianus est.

apparitorem Augustorum n. 7 inter praecones retuli referamque eodem M. Vergilium Eurysacem, cuius sepulcrum paucis ante annis repertum est Romae cum titulo: *Est hoc monumentum Marci Vergilei Eurysacis pistoris redemptoris apparet* (Annali dell' Inst. 1838 p. 231). Exercuit Eurysaces cum pistrino et operum publicorum redimendorum negotio etiam praeconium monstratque adhuc monumentum, quam quaestuosa fuerint tria ista officia. Quod attinet ad vocem APPARET omissis aliis interpretationibus quae nemini probatae sunt, Borghesii et Caninae qui suppleverunt APPARET*oris*, ego non improbo; etsi in titulo quo MARCEI scriptum est omnibus litteris, verbum non plene scriptum molestum est, praesertim cum spatium sufficeret; neque placet insolentior forma APPARE-Toris pro APPARIT., quam sane VERGILEI pro VIRGILEI non defendet. Quare cum in titulo C. Matii, qui etsi minus vetustus tamen Augusteae aetatis est, legissem sine coniunctione: *C. Mattius - praeco. Apparuit* cet., in mentem mihi venit ita Eurysacem quoque scripsisse: *est monumentum Eurysacis pistoris, redemptoris, apparet*, pro quo postea dixissent *qui apparet* s. *apparitor*. Nam neque omissio eius, cui apparuerit, exemplis caret et praesens tempus unice verum est, cum Eurysaces vivus monumentum fecerit uxori Antistiae et sibi.

De forma in quam praecones redacti erant pauca supersunt post ea quae de lictoribus praesertim diximus; vix enim ab horum forma diversa est. Tres decuriae praeconum nunc primum prodeunt ex unico et inedito titulo C. Matii, quae dicuntur apparere consulibus censoribus praetoribus *), ad eos magistratus, quibus ministrabant lictores, recte accedentibus censoribus qui lictoribus carent, quos etiam in ceteris magistratibus quibus praetor cos. et pr. viatores apparere dicuntur (viat. cos. 1) praesertim indicari credo. Ordinem de-

*) Notanda est censorum interpositio inter consules et praetores contra antiquam consuetudinem quam retinet lex seculi septimi ap. Spangenb. p. 75. v. 13 DIC COS. PR. MAG. EQ. CENS.

curiae unius, quem in lictoribus consularibus codex Theodosianus commemorat, hic nominat inscriptio M. Falcidii, quae ex litterarum forma ad bonam aetatem pertinet. Denique praecones qui imperatoribus apparebant non solum ex tribus decuriis fuisse intelligimus ex titulo C. Matii praesertim, sed discimus praeterea, quanam decuria imperatores usi sint. Decuriam consularem iis esse permissam comprobat cognomen Iuliae a decuria praeconum consulari ita adscitum ut non deponeret consularis appellationem; comprobant praeterea tituli C. Calpurnii et M. Falcidii, qui cum in decuria consulari essent, Augusto se apparuisse profitentur. Unde generaliter ex ternis decuriis lictorum, viatorum, praeconum singulas easdemque primo loco honoreque constitutas imperatoribus concessas esse consequitur; quod de viatoria consulari iam suspicati sumus cum de equestris cognomine ageremus.

4. Lictores curiati et alii sacrorum ministri.

1. L. Antonius Epitynchanus *lictor dec. curiatiae quae sacris publicis apparet* $\overline{qq}$ collegii fabrum tignuariorum Ostiis sevir Aug. in provincia Narbonensi colonia Aquis Sextiis = in basi statuae Ostiis rep. Grut. 356, 5. Orell. 3217.

2. . . . Sutorius M. l. Pamphilus *lictor curiaſt. a sȷacris publicis P. R. Quiritium* viator qui cos. et pr. apparet decurio conlegii fabrum ferrarium = supra viat. cos. n. 10.

3. Aptus *lictor cur* = Grut. 630, 7.

4. Ti. Claud. Amerimnus *lictor curiatus* = Grut. 33, 4. cum not. Hdth.

5. Domitius Abascantus *lictor curiatus* fusor ollarius = Grut. 630, 9.

6. C. Flavius Hermes *lictor curiatus* = Grut. 1033, 4.

7. T. Flavius Aug. l. Epictetus ab epistulis, a copiis mil., *lictor curiatus* = Mur. 771, 3. Orell. 2922. Cecconi Palestrina p. 18.

8. Fortunatus Aug. lib. verna paternus, ab epistulis, ac-

census patron. Divo Aug. Vespasiano, *lictor curiat.*, viat. honor. dec. cos. et pr. = viat. cos. n. 7.

9. C. Iulius Primio *lictor cur.* = Grut. 630, 8.

10. T. Manlius T. f. Palat. Clementianus scrib. aedil. curul. *lictor curiatus* = Fabrett. 708, 297, quem sequor. Grut. 326, 6. Mur. 963, 6. Mon. Matt. III, p. 111. Orelli 3240.

11. T. Petronius Pompeius Chresimus *lictor curiatius* = Grut. 1116, 5.

12. M. Porcius M. l. Pollio scr. libr. aed. cur. *lict. cur.* = Grut. 326, 12.

13. . arius L. lib. Doc. [*lict*]*or curiat* = vide quae mox notabimus.

Lectorum curiatorum s. curiatiorum (n. 11. cf. 1.) una tantum erat decuria, nempe curiatia quae sacris publicis P. R. apparebat; quam ad minimum triginta hominum fuisse sequitur ex imaginariis comitiis curiatis, in quibus singuli lictores triginta curias repraesentabant (Lael. Felix ap. Gell. XV, 27) neque ita pauci esse potuerunt, cum satis multi lapides eorum extent. Uno honorario L. Antonii Epitynchani, qui Ostiensis est, excepto tituli omnes Romani sunt, et recte, cum enim comitia curiata extra urbem fieri non possent, lictores quoque curiatos homines urbanos fuisse consentaneum est. Praeterea ex hac decuria sumtos esse lictores flaminis Dialis et virginum Vestalium supra suspicati sumus.

Sequantur pullarii.

14. M. Aurelio Caesari — *decuriales pullarii et h. u.* = Mur. 239, 6. Orell. 2456. Basis honor. a. p. Chr. 146.

15. Ti. Claudius Festus lictor idem *decurial. decuriae pullariae* = lict. cos. n. 19.

16. C. Calpetanus C. l. Cliptius viator *pullarius* prior vir Culicinae = Mazoch. f. 91. cf. Marini Arv. p. 550. Grut. 627, 5. *)

*) Cannegieter et Orelli (ad 2456) interpretati sunt de pullario priori iidemque pro PRIMI. PIL in fine corrigunt PRIMI. PVL, in qua re sibi ipsi non constiterunt, cum utroque loco aut *primus* aut *prior* ponendum esset. Coniungendum autem est non *pullarius prior*, sed

Praeter falsos lapides, quos vide apud Marin. iscr. Alb. p. 120, consulto praetermittimus pullarios ex familia libertorum, ut M. Pompeium Atimetum pullarium patroni praefecti castrorum Marini l. c., C. Norbanum Quietum Fabrett. 677, 36. 694, 147; quos ad decuriam pullariorum accessisse probari non potest, sed simili conditione erant cum accensis libertis de quibus supra egimus. Pullarios publicos unam decuriam effecisse apparet, videnturque tamen neque multi fuisse neque honoratiores. Simillimum est collegium victimariorum, cuius unus certus lapis *) superest Fabrett. 450, XIII = Orell. 2453 anni p. Chr. 119: *colleg. victimarior. qui ipsi* (Augusto) *et sacerdotibus et magist. et senatui apparent, quod cum commodis eorum impugnaretur liberalitate eius restituta sint.* Recte hi referuntur inter collegia apparitorum magistratuum Romanorum, sed rectius etiam inter sacrorum ministros, de quibus agere nobis non est propositum; quamquam difficillimum est apparitores sacros et publicos plane secernere, cum sacra omnia publica quoque sint ita ut in noto lapide Venusino iudicaretur *aut* sacrum *aut* publicum esse locum. Eodem iure quo victimarii et pullarii huc referri potest collegium tibicinum et fidicinum Romanorum qui Sacris Publicis Praesto Sunt **)

prior vir, cum toto titulo perlecto Culicinam appareat primum C. Calpetano Cliptio nupsisse, a quo habuit filium primum pilum C. Calpetanum Livianum, cuius uxor ultima est in titulo, deinde Q. Fabio Cytiso, quem primum nominavit in monumento suo. Si filium ex primo matrimonio excipimus, quem postea additum esse id probat quod alterius generationis est et penultimus articulus a particula ET incipiens finalem se esse prodit, ipsa Culicina ultima est diciturque ET. LIVIA. DIVAE. AVG. L. CVLICINA. Mazochius aliique dederunt LIVIAE, quod sensu caret; Liviam fuisse matris nomen monstat cognomen filii C. Calpetani Liviani. De ultima parte tituli ab reliquis separanda dictum est iam in annot. apud Grut.

*) Nam Orell. 2454. 3644 = Lur. 864, 1 ad militaria officia pertinent, Orell. 2455 falsa est, Fabr. 677, 35 *Victimarius* videtur cognomen esse. Denique Cn. Pisentius Cn. f. Clu. Capito victimarius in lapide Eugubino Fabr. 639, 332 = 677, 35 ad rem municipalem referendus est.

**) Orelli 2448 = Grut. 175, 10 ubi in fine suppl. et expl. [g.] H. C. D. D = genio huius collegii dant dedicant. Orelli 1803 = Reines. 184, 167. Tertium lap. Formianum Orell. 3876 = Grut. 491, 10 ego vidi in villa Ciceroniana (Castellone di Gaeta), legique et ego TVB. SAC. P. R, etsi litterarum V. et R. non supersunt nisi tenuia vestigia

possuntque alii ministri; non tangemus autem nisi solos viatores sacerdotum publicorum eosque ea ex causa solum, ut rem de viatoribus absolvamus. Flaminum viatores adhuc non sunt reperti, ut hi eiusmodi apparitoribus caruisse videantur; contra quattuor maioribus collegiis sacerdotum publicorum P. R. viatores vel certe viatorem fuisse et id arguit quod privata collegia omnia fere viatorem habuisse videntur et quod de duobus ex quattuor illis constat, de tertio auctoritas adduci potest etsi infirma, denique lapides viatorum sacerdotum ita rari sunt, ut quarti collegii viatorem inventum non esse casui facile tribui possit. *Viator VII vir. epul.* fuit D. Caelius Balbi L. Satur Mur. 174, 6 (ex museo Albano); *viator sodalium Augustalium* est in hoc titulo quem descripsit Borghesi Tibure in aedibus Sabbi-Colonna:

VALERIAE
DONATAE. VXORI
CARISSIMAE. FECIT
TI. CLAVDIVS
AVG. LIB
LYSIMACHVS. VIATOR
SODALIVM. AVGVSTALIVM
ET. SIBI. POSTERISQVE
SVIS. ET. LIBERTIS
ET. LIBERTABVS
POSTERISQVE. EORVM

Viator augurum denique legitur in sequenti titulo, cuius partem maiusculis scriptam Pighius Romae descripsit in S. Iohannis et Pauli ediditque Grut. 1103, 1., integriorem ex Card. Passioneo dedit Mur. 718, 3 unde negligenter repetivit Orell. 2176:

....mARIVS. L. LIB. DOryphorus anulos aureos **DOC. Grut.**

punctumque inter P et R satis evanidum est. Videntur igitur praeter tibicines sacrorum P. R. fuisse etiam tubicines sacrorum populi Romani; nam de tubicine sacrorum principiorum, nempe sacerdote Laurente Lavinate, nemo credo cogitabit. Cf. praeterea Grut. 30, 2.

. . . coNSECVTVS. A. DIVO. COMmodo scrib. aedilic. et
. . . triBVNIC. SCRIB. LIBR. Aedil. curul. praeco cos
. . . . EC. QVAESTORIVS. SACErdotal. viator augurum
. . . . OR. CVRIAT. LAVRENS lavinas fecit sibi et
. . . . ae. Asclepiodote coniugi item libertis
libertabusque eorum

Vetuit me Borghesius diffidere titulo quem communicavit Passioneus, omnium suae aetatis hominum sollertissimus investigator inscriptionum Latinarum. Ego quoque bene intellexeram haec additamenta non referre genium Ligorianum et versum sextum praesertim omnino genuini speciem prae se ferre; sed tot nova miraque ex hoc solo lapide prodeunt, ut nisi summa auctoritate nitatur, eo uti vix sustineam. Praeterea cum multo ante Pighius, et ipse homo peritus, non reperisset nisi exiguum eius fragmentum, potuit quidem Passioneus aliquanto plures litteras fortasse sub calce latentes detegere, sed potuit etiam supplementa in codice aliquo reperire, cuius auctoritas sane non erit ipsius Passionei. Quare cum auctoritas qua nititur lapis non ea est quae omnem dubitationem excludat, complura sunt in istis additamentis admodum suspecta. Anulorum aureorum attributionem praeter hunc nullus titulus quod sciam commemorat; et expectaris saltem anulum pro anulis, nam *ius anulorum impetrare* Dig. XL, 10, 6, quam locutionem Borghesius comparavit, satis ea diversa est ab hac consequendi ipsos anulos. *Viator augurum* quod in hoc solo lapide memoratur, non habet difficultatem, cum VII virum epulonum quoque et sodalium Augustalium viatores ex singulis lapidibus noti sint; tamen offendit inepta ista et supervacanea vox *sacerdotalis*, quae cum sequi saltem deberet, praemissa videtur ut fractum SACE expleretur. *Kalator ex sacerdotio augurali* (Suet. de clar. gramm.), quo collato Borghesius sacerdotalem viatorem augurum excusavit, longe abest ab inani illa et inconcinna repetitione; certe male dicitur *sacerdotalis viator augurum* ut male diceretur *publicus viator consulum*. Offendit porro quod v. 2. 3 dicitur SCRIB. AEDI-

LIC. ET TRIBVNIC. *), quo significari non possunt nisi duo munera scribae aedilicii et scribae tribunicii. At ita plerumque observatur, ut qui duobus magistratuum generibus simul apparuit utrumque coniungat particula ET, qui duo munera eiusdem generis sustinuerit, munus bis ponat; unde legitur VIATOR. CONSVLARIS. ET. PRAETORIVS; sed SCRIBA. AEDILICIVS. SCRIBA. TRIBVNICIVS (scr. trib. n. 2 similiterque scrib. quaest. 6. 14. lict. cos. 15) cuius regulae praeter hanc et inscr. scrib. quaest. 16. exceptionem aliam non novi. Omnium vero obstaculorum gravissimum est', quod Dorypho-rus hic primum dicitur scriba aedilicius, deinde scriba librarius aedilium curulium. Borghesius eo confugit ut scribam diversum crederet a scriba librario, citata inscr. Ostiensi Fabrett. p. 732 n. 480 *patrono decuriae scribarum cerariorum et librariorum et lictorum et viatorum item praeconum* et SCto Frontiniano quod ait *scribas et librarios accensos praeconesque.* Quae distinctio si vera esset, confunderetur tota huius disputationis ratio, quae non novit scribas nisi librarios; at minime admitti potest. Nam in SCto Frontiniano *et* insertum est a librario, qui quid esset scriba librarius non magis intellexit ac editores nostri qui interpungere solent inter scribam et librarium; Ostiensis autem titulus non nisi accuratius describit scribarum officium quorum opera magistratus utebantur et in epistolis scribendis in tabulis ceratis (unde cerarii) et in libris conficiendis ut censuum, professionum (unde librarii). Qui retinere vult scribam aedilicium a scriba librario aedilium curulium diversum, ei confugiendum est eo, ut scribam aedilicium plebis accipiat de scriba aedilium. Quod tamen non solum inconcinnum est propter inaequalitatem appellandi sed falsum plane et perversum; scribae enim aedilium pl. cum ita rari sint, ut ex uno neque eo plane certo titulo innotuerint, curulium vero notissimi et plurimi, quis scribam aedilicium ad istos

*) In Muratoriano exemplo enim v. 3 a principio integer videtur esse, ut est v. 2; quod si scribis SCRIB. AEDILIC. ET scrib. TRIBVNIC., ET contra lapidis consuetudinem insertum non minus offendet.

trahère potuit? Deinde ubicunque *aedilicius* simpliciter invenitur, id pertinere ad aediles curules infra docebitur. Quibus omnibus semel iterumque perpensis equidem lapidem nunc quoque suspectum dico, quatenus non proficiscitur a Pighio, neque supplementis Muratorianis amplius utar.

B.

Apparitores quaestoris urbani.

1. Scribae quaestorii.

1. Incipio a lapide ante paucos annos Tibure effosso editoque in Giornale Arcadico LXXVI, p. 323.

T. SABIDIO. T. F. PAL
MAXIMO
SCRIBAE. Q. SEX
PRIM. BIS. PRAEF
FABRVM. PONTIFICI
SALIO. CVRATORI
FANI. HERCVLIS
TRIBVNO. AQVARVM
Q. Q. PATRONO
MVNICIPII. LOCVS
SEPVLTVRAE. DATVS
VOLVNTATE. POPVLI
DECRETO. SENATVS
TIBVRTIVM

2. L. Pontius L. fil. Pal. Martialis qui fuit *scriba quaestorius sexsprimus* = ita rectissime emendavit **Orelli 3242** legitque in lapide Amatius Romae in aede **S. Chrysogoni: Marini Arv. p. 443 male SEXSTRIMVS.**

3. P. Septumius P. f. Col. *scr. q. de sexs primis* = **Mur. 745, 3. 977, 6. Orell. 3756. Tibure rep.**

4. Huc pertinere videtur titulus Marinii Arv. p. 806. Aquaespartae inventus et imperite ita descriptus:

.... LIVS. TI. F. POP. CLEMENS. SCR. XXVI

..... E. A. POPVLO. IIVIR. IVRE. DICVNDO. CARSVLIS. SEX

.... X. SCRIMVS. MVNVS. GLADIATORIVM. MVNICIPI

quem ita restituere conatus sum, in emendando v. I. secutus Marinium:

. LIVS. TI. F. POP. CLEMENS. SCR. XXVIr

trib. mi L. A. POPVLO. IIVIR. IVRE. DICVNDO. CARSVLIS. SEXies scr. q. seXSPRIMVS. MVNVS. GLADIATORIVM. MVNICIPIb. dedit.

5. L. Neratio L. f. Vol. Prisco praef. aer. Sat. — *scribae quaestori et munere functi* = supra p. 6.

6. L. Aelius M. f. M. nep. Quir. Rectus *scriba quaestorius* scriba aedilicius donatus equo publico ab Imp. Caesare Traiano Hadriano Aug. [habuit praeterea in provinciis plurimos honores municipales v. scrib. aed. n. 2.] = Mur. 1096, 1. Differunt alia exempla Grut. 174, 3. 4. 349, 1. Maffei M. V. 466, 15. Rep. Carthagine nova in Hispania.

7. Aelius Valerianus *scrib. lib. q. III dec.* = Reines. XI, 14 e sched. Piccartianis.

8. Sex. Aelius Victor *scriba quaestorius* = Grut. 1090, 15 cf. 14. 16.

9. P. Annius Protectus *scrib. libr. q. III dec.* = Grut. 626, 7.

10. Sex. Atellius Sex. f. Pup. Paetus tr. mil. *scr. q.* = Fabrett. 58, 340. Don. VI, 31. Mur. 785, 8.

11. Refertur a de Masi storia degli Aurunci p. 178 alla torre di S. Imato

SEX. CAECILIVS. SEX. F. QVIR. BIRRONIANVS. SCRIBA. LIBRAR QVAEST. III. DECVRIARVM. IIVIR. QVINQVEN. P. C. SINVES GRATISSIMIS. PODIVM. AMPHITHEATRI. A. SOLO. FECIT

12. M. Cutius Amemptus *scr. libr. q. III dec.* = Reines. XI, 15. Maffei M. V. 286, 10. Marini atti p. 550. Vidi Florentiae in hortis Boboli.

13. C. Ennius C. f. Ter. *scri. q.* = Donat. p. 310, 6. 318, 2.

14. Q. Fabius Africani [cos. 744. *Borghesi*] l. Cytisus via-

tor quaestoris ab aerario scr. libr. tribunicius *scr. libr. quaestorius trium decuriarum.*

L. Numpidius L. l. Philomelus *scr. libr. q. III decuriarum* = pullar. n. 16. Idem L. Numpidius L. l. Philomelus *scriba librarius quaestorius* commemoratur in alio lap. Fabr. 634, 394, unde nomen correxi, quod apud Mazochium est Nupidius Philomenus.

15. C. Furius C. f. Clu. Tiro *scr. q.* IIII vir. quinq. ter pontif. = Mur. 597, 3. 704, 4. in via Flaminia Carsulana.

16. Sex. Mutilius Sex. f. Col. Primus *scr. q.* et aed. cur. = Fabr. 633, 282. Nomenti.

17. A. Pompeius Carpus *scrib. libr. q. III dec.* = Marini iscr. Alb. p. 56. Cardinali iscr. Velit. p. 155. Orell. 3243.

18. Sulmonensem inscriptionem hanc dedi ex historia Pelignorum manuscripta auctore de Matteis, unde qui ediderunt de Pietro storia di Solmona p. 37 et Lupoli Corfin. inscr. ed. 2. p. 374, quaedam male descripserunt.

D. SEVERIO. D. F	Q—Q. F. Lup.
PAL. SEVERO. AED	
IIII. VIR. I. D. PRAEF. PRAE	
SIDIORVM. ET. MONTIS. BERONICES	
SCRIBAE. QVAESTORIO	SCRIBE de P. Lup.
DECIMIA. PROPOSIS. MARITO	DECIMA iidem.
OPTIMO.	

19. L. Tarquitius L. f. Pom. Etruscus Sulpicianus *scriba quaestor* = Grut. 625, 4. Orell. 1189.

20. C. Telegennius Optati l. Anthus viator quaestorius ab aerario et *scriba librarius quaestorius trium decuriarum* = Grut. 627, 7.

21. M. Valerius Nedymiles (?) *scrib. lib. q. III dec.* = Fabr. 719, 404.

22. L. Volusius Primanus *scrib. libr. q. III. dec* et lictor III dec = lict. cos. n. 6. In corrupto titulo C. Vibii Publiliani Mur. 63, 6 = Orell. 1549 haud scio an non recte emendarint Marini Arv. p. 827 et Orelli PVBLILIANVS. SCR. Q.

pro SER. Q., cum in ea corruptela patria potius quaerenda videatur.

2. Viatores quaestorii.

1. Divae Piae Faustinae *viator. q. ab aer. Sat.* = Orell. 3253. Annali dell' Instituto 1834 p. 24.

2. *Viator ad aerarium* = ita legitur in sacco pleno nummorum cui adpictum est cochlear quoddam unde nummi depromerentur. Mur. 507, 7 inscriptionem edidit; ego vidi in Vaticano.

3. Artorius Iulius Augendus *viator quaestorius ab aerario Saturni* = Grut. 627, 4.

4. Q. Fabius Africani l. Cytisus *viator quaestoris* (?) *ab aerario*, scr. libr. tribunicius, scr. libr. quaestorius trium decuriarum = pullar. n. 16.

5. T. Fl. Hermes *v. q.* = Fabretti 283, 183. Nibby cont. di Roma III p. 353. Tusculi.

6. C. Iulius C. f. Pal. Rufus trib. mil. bis, fani curator, *v. q. ab aerario Saturni.* = Grut. 424, 8. Fabrett. 706, 273. Exscripsi in Vaticano. Litterae sunt pessimae et insunt aliquot menda v. 2. CE. F, v. 5 V. O, genuina tamen est. Est basis dedicata Herculi Victori Tiburtino.

7. Q. Lucretius Q. l. Gemellus *viator. quaestor. ab aerario*
L. Lucretius Q. l. Chrestus *viator quaestor. ab aerario* = Grut. 627, 6.

8. P. Martius Quir. Philippus curator viae Praenestinae aedilicius curulis *v. q. ab aerario*, tribunus fabrum navalium Portens. = Grut. 1027, 4. Exscripsi in museo Neapolitano. Est titulus honorarius u. c. 948.

9. C. Telegennius Optati l. Anthus *viator quaestorius ab aerario* et scriba librarius quaestorius trium decuriarum = scr. quaest. n. 20.

10. C. Vibius Fronto *viator quaestorius ab aerario* = Amadutius anecd. litt. 1, 473.

11. C. Ulpius Fronto *viator q.* = Grut. 50, 3. Mur. 336, 4. Basis dedicata Herculi Victori Tiburtino a. 168 p. Chr.

12. { M. Trebellius Argolicus *tabularius viatorum quaestoriorum ab aerario.*
T. Flavius Polycletus *v. q.* = Mur. 751, 1. 981, 1. Orell. 3245.

Suspectum lapidem C. Iunii Neniniani *viatoris quaestorii.* Grut. 35, 2 omisi.

Sequuntur pauci lapides qui simpliciter nominant viatores.

13. *Viat.* et scr. libr. = in titulo honorario Don. III, 1. Mur. 972, 7 unde fluxerunt Ligorianae Mur. 960, 3. 972, 7. Non referri potest nisi aut ad quaestorem aut ad tribunos plebis, qui soli habuerunt et scribas et viatores.

14. . . . Valerius C. l. Stasimus *mag. conl. viatorum* = memorie Romane I, 89. Orelli 3256.

15. C. Paconius C. et Ↄ. l. Nico *viator* = Mur. 968, 6 Florentiae.

16. C. Calpetanus C. l. Cliptius *viator* pullarius = lict. cur. n. 16.

17. L. Vatinius Ↄ. l. Quintio *viator* = Fabr. 754, 607 sub Anisio.

18. . . . rtius Q. P. l. Clumenus *viato* = Grut. 627, 13. Romae.

19. Nonius Dida *viator* = Grut. 1116, 2 Ameriae.

Ex his n. 18 fractus est, n. 15. 17. 19 rectius ad viatores municipales referuntur, ut viatores Romae simpliciter ita dicti non inveniantur nisi in tribus lapp. 13. 14. 16. Cognomen est *viator* Grut. 627, 11. 12. Orelli 517. 3401.

3. Praecones quaestorii.

Non inveni nisi unum exemplum idque dubium eius tituli de quo supra egimus, ubi legitur v. 3. 4.

praeco . cos
. . . EC . QAESTORIVS

Suppleri potest aut *scr. III d*EC QVAESTORIVS aut *pra*EC.

QVAESTORIVS, quod magis placet; insolitum enim est *quaestorium* in fine locutionis ponere. Si genuinum est additamentum, quod infert praeconem consularem, omnino supplendum est *praEC*, cum in principio v. 4. non exciderint nisi tres quattuorve litterae et v. 3 tum in fine integer sit; praeterea ita coniunguntur duo praeconis officia, ut coniuncta sunt in titulo sacerdotia variaeque scripturae. Difficultatem tamen facit quod hic homo honestior fuisse videtur quam praeconis conditioni congruit.

Vides plurimos esse scribas, haud paucos viatores, praeconum vero superesse exiguam memoriam. Ne tamen neges quaestores hoc etiam apparitorum genere usos esse, cavit lex Cornelia et de viatoribus et de praeconibus quos quaestoribus ad aerarium apparere oporteret, utrorumque numerum eundem esse iussit. Paucitas titulorum ex vilitate muneris repetenda est, neque mirum est, cum in praeconibus consularibus honestioribus sane ministris id observarimus, idem plus etiam valuisse in praeconibus magistratuum minorum. Etsi, cum praeconum quaest. utilitas maxime in venditionibus publicis quaestoriis agrorum bonorumque credenda est constitisse, quae sub imperatoribus desierunt, id quoque dici potest, praecones quaestorios ad liberae reipublicae tempus magis referendos esse. — Apparitores quaestorum dicuntur *quaestorii; quaestoris* etiam dictos esse ex inscr. viat. 4 male descripta minime effici potest. Soli viatores dicuntur *ab aerario Saturni* sive simpliciter *ab aerario*, nonnunquam etiam *ad aerarium* (n. 2.); quod additamentum in his fere perpetuum scribis nunquam attribuitur, neque casu id factum esse evincunt tituli Q. Fabii et C. Telegennii, qui iidem dicuntur viatores ab aerario et scribae simpliciter. Caussa cognominis videtur non ea quod ad aerarium viatores apparebant (ibi enim scribas quoque quaestori adfuisse consentaneum est), sed propterea quod ibi consistebant ad templum Saturni, ubi repertus est titulus eorum

honorarius n. 1., cum scribae quaestorii consisterent in Aventino (Fest. s. v.). Omnino eiusmodi designationes locales non determinant officia collegii, sed locum ubi scholam curiamve habet *), quod ut melius intelligatur, comparentur tituli duorum Turpiliorum A. libertorum Publii et Quinti qui fuerunt *redemptores ab aerario* **) cum titulo quem descripsi Romae in museo Campanae ediditque L. Canina (descrizione della Speranza Vecchia e del Sepolcro di Eurisace Rom. 1837 p. 42)

M. CLAVDIVS PRISCVS
REDEMPTOR . ALACO . FVNDANI
VIX ANN XXXV

Viatores quaestorios coiisse in collegium probant cum tituli 1. 2. communi eorum scitu positi, tum tabularius eorum (inscr. 12) **); una decuria eos contentos fuisse praeter ea quae supra p. 8 proposui probant tituli 4. 9. in quibus ii ipsi, qui se profitentur scribas ex III decuriis, simpliciter se dicunt viatores quaestorios. Omnino in viatoribus nulla fit decuriarum mentio, nisi in lege Cornelia, quae attribuit et iis et praeconibus singulas decurias quaternorum hominum, cum ante eam legem ternorum fuissent. — In scribis contra frequentissima est et fere sollemnis commemoratio trium decuriarum, de quibus accuratiora sciremus, nisi in lege Cornelia ultima tantum et exigua pars capitis de scribis superesset. Nunc et numerus ignoratur et forma et munerum distributio, neque quidquam scimus praeter nomen solum et ea quae at-

*) Unde etiam refutatur interpretatio litterarum singularium V. Q. in titulo P. Martii Philippi (viat. 8.) de Viro Quaestorio; nam Vir Quaestorius ab aerario ferri non potest.

**) Oderici p. 205 coll. l. Iulia municip. v. 46 sq. Tertius REDEMPTOR. AB. AER. exstat apud Vernazzam inscriptt. Albae Pompeiae p. 67.

***) Conferendus est titulus Mur. 918, 3. Marini Arv. p. 673 Orelli 2975 ubi invenitur *Turannus verna tab. apparitor. sacris omnium immunis.* Minus recte Marinius et Orellius explicaverunt de tabulario eodemque apparitore sacris, cum ita non intelligatur quo pertineant verba *omnium immunis*; rectius coniungetur *sacris omnium immunis* coll. Orell. 4085 *immunis Romae regionibus XIV* et Marini Arv. p. 210 *cui immunitas . . . data es(t) ab eis sacrum faciend. . .* unde restat TABularius APParitorum. Qui ad quos praecones pertinuerit, cum ipse tacuerit ignoramus.

tinent ad *sexprimos*, qui inveniuntur et in inscr. 1 — 4 et apud auctores.

Cic. de N. D. III, 30. Sessum it praetor ut iudicetur qui transscripserit tabulas publicas. Id L. Alenus fecit, cum chirographum sexprimorum imitatus est.

Vat. fragm. §. 124. Hi qui sunt ex collegio sexprimorum habent a tutelis excusationem, sed non simpliciter sed post unam.

Inter scribas quaestorios et sexprimos eorum ea ratio videtur intercessisse quae erat inter seviros proprie ita dictos et Augustales. Ut seviri erant sex magistri sacris obeundis lecti ex Augustalibus, ita sex primi videntur fuisse selecti homines sex ex tribus decuriis, vel bini ex singulis vel potius sex primae decuriae primi, ad munera quaedam maiora obeunda et rem collegii regendam*). Quorum auctoritas in tabulis publicis conficiendis cum praecipue valeret (Cic. l. c.), recte maiora quoque praemia legibus iis attributa sunt (Vat. fr. l. c.). Munus perpetuum fuisse indicat *collegium sexprimorum* (Vat. fr. l. c.); collegium enim non consistere nisi ex causa perpetua non semel monuimus. Deinde cum simpliciter dicantur vacationem habere a tutelis, neque ea ad tempus restringatur, ex causa perpetua eam habuisse putandi sunt. Ipsum denique nomen sexprimorum, quod confer cum decemprimis ex senatoribus, non significat magisterium ad tempus, sed conditionem aliquam perpetuam honorificentiorem **). Quod novi-

*) In aliis quoque collegiis sex magistri inveniuntur; ita in corpore lenunculariorum Ostiensium Orell. 4104. Grut. 1077. et in corpore fabrum tignariorum Ostiensium Orell. 820. Grut. 268, 1.

**) Haec cum intellexissem et exposuissem, tamen inscr. n. 1 cum dare videretur SCRIBAM. Q. SEXPRIM. BIS deterruit me, ne eam viam tenerem, non ausum coniungere BIS. PRAEF. FABRVM. Sed ex hoc timore Borghesius me exemit his rescriptis. „Ego quoque diu credidi „iterationis notam semper referendam esse ad officium praecedens; re „tamen diligentius considerata hanc regulam veram inveni, ubi numeris „sive per vocabulum *iterum* iteratio notatur; contra BIS modo anteponi „modo postponi honori iterato. Ecce exempla aliquot ex lapidibus: „APPI. MAXIMI. BIS. COS tempore Domitiani (Orelli 772); L. POMPO„NIVS. L. F. LEM. GRATVS. V. C. BIS. COS anni incerti (Riccy del „pago Lemonio p. 28 melius quam Mur. 363, 1); AVFIDI VICTORINI.

mus de sexprimis (quos non fuisse nisi in scribis quaestoriis inde arguas, quod in Vat. fr. simpliciter dicuntur sexprimi, quod male scripsisset ICtus, si aliud praeterea collegium habuisset sexprimos), transferendum est ad decemprimos aliorum collegiorum ut trium decuriarum lictorum cos. et pr., lictorum popularium, praeconum aedilium curulium, qui omnes innotuerunt ex uno lapide lict. cos. n. 15 cf. 16. Neque alii fuerunt Xviri raro memorati (vide infr. p. 49 not.); de his enim ea novimus quae ex comparatione sexprimorum erui possunt. Ordo in decuriis, quem invenimus in decuria praeconum consulari (praec. cos. n. 2) et in decuriis scribarum librariorum et lictoria consulari (cod. Theod., vide p. 14), minime cum his confundendus ess, cum ordo referatur ad singulas decurias (ordo dec. lictoriae consularis, praeconum consularis, quae singulae erant ex ternis decuriis lictorum et praeconum magg. maiorum; item *ordines* decuriarum scribarum librariorum), sex vel decemprimi ad totum collegium, ut monstrat praesertim *decurialis decuriae lictoriae cos.*, *trium decuriarum Xprimus* (lict. cos. et pr. n. 15). Ordo erant decuriales quicunque erant pleno iure, sex vel decemprimi erant tot primi ex prima decuria collegii. Magistri collegii quo pertinuerint, non apparet; inventi sunt in duobus titulis, quorum unum *magistri conlegii viatorum* supra dedimus viat. n. 14., alter hic est. *Q. Considius Q. l. Ero[s] viator aed. pl. lege Papiria, Lupercus Quinctial. vetus, accensus cos., magister trium decuriar.* *) Summa difficultas haec est, quod quo

„PRAEF. VRBI. BIS. CONSVLIS u. c. 936 (Orell. 1176); ACILI GLA„BRIONIS. BIS. COS. u. c. 939 (Grut 364, 1); ASPER. BIS. COSVL. „PRAEFECTVS. VRBIS u. c. 965 (Murat. 353, 1); L. MArio L. F. „Quir. MAXimo AVRELiano FETIALi. BIS. COS u. c. 976 (Cardinali „iscr. Velit. n. 35), quibus adiungam Graeca: *ΑΤΛΟΝ ΙΟΥΛΙΟΝ „ΑΥΛΟΥ ΥΙΟΝ ΚΟΥΛΛΡΑΤΟΝ ΔΙΣ ΥΠΑΤΟΝ* u. c. 858 (C. I. G. „2548. 3549.); *Βαλε ΡΙΟΥ. ΑΣΙΑΤΙΚΟΥ. ΔΙΣ ΤΠΑΤΟΥ* u. c. 878 „(C. I. G. 2587); *ΓΝ ΚΑΛΥΔΙΟΝ ΣΕΒΗΡΟΝ ΔΙΣ ΤΠΑΤΟΝ* u. c. „926 (C. I. G. 4154)".

*) Fabrett. 457, 77. Orelli 2253. De falso exemplo vide Marinium Arv. p. 681. Visconti opere varie I p. 164. Genuini alterum apographum hoc inveni in cod. Vaticano 7113 f. 3:

illos lapides referamus ignoratur; viatorum enim collegium potest esse quaestoriorum, potest consularium aliorumve; itemque in III decuriis illis libera optio est inter tres decurias lictorum, viatorum, praeconum qui apparebant magistratibus maioribus, denique tres decurias scribarum quaestoriorum. Fieri potest ut magistri hi sint ipsi illi sex vel decemprimi; diversum denique usum loquendi id excusabit, quod magistrorum tituli sunt remotioris antiquitatis, id quod in altero litterae monstraverunt, in altero mentio legis Papiriae, contra sexprimorum omnes recentiores apparent.

Antequam concludam hanc partem de ministris quaestoriis, duo notanda sunt. Primum pertinuisse eos minime ad quaestores omnes, sed ad solum quaestorem urbanum aerario praefectum et propriam fuisse eorum curam aerarii et apparere ad aerarium; unde cum pro quaestoribus praefecti aerarium administrabant, ab his scribas pependisse (scr. quaest. n. 5.). Quod monuisse sufficiet. Viatoribus ad id usi videntur, ut saccos in aerarium portarent vel inde depromerent; cf. anaglyphum viat. quaest. 2. Deinde videndum est de eo quod dicit Varro ap. Gell. XIII, 12: *In magistratu habent alii vocationem alii prehensionem alii neutrum, vocationem ut consules et ceteri qui habent imperium, prehensionem tribuni plebis et alii qui habent viatorem, neque vocationem neque prehensionem ut quaestores et ceteri qui neque lictorem habent neque viatorem.* Quod quomodo conciliandum est cum inscriptionibus qui tot viatores quaestorios dederunt? Locutusne est Varro de iure antiquo, quo quaestores viatoribus carerent et tacuit eos postea et quidem ante

Q. CONSIDIVS. Q. L. ERO
VIATOR. AED. PL. LEGE. PAPIRIA
LVPERCVS. QVINCTI
ALVETVS
ACCENSVS. COS
MAGISTER. TRIVM
DECVRIAR
CONSIDIA. Q. L. AMMIA. L

LEGE v. 2 pro quo Fabr. habet L., ipso errore IEGE confirmatur. Falsum etiam exemplum habet LEGE.

Sullam accepisse eiusmodi ministros? Quod minime placet. Rectius fortasse putabimus Varronem de quaestoribus in genere locutum esse, ut excipiendus esset quaestor urbanus, cui in cura aerarii viatores apparuisse constat. Quos iure omisit, si recte diximus eos non fuisse viatores qui prehenderent, sed qui commearent (Fest. v. viator) nummosque portarent.

C. Apparitores tribunorum plebis.

1. Scribae tribunicii.

1. Q. Fabius Africani l. Cytisus viator quaestoris ab aerario *scr. libr. tribunicius*, scr. libr. quaestorius trium decuriarum = **pullar. 16.**

2. T. Statilius Messallinianus praef. coh. II Asturum *scriba tribunicius* scriba aedilicius = **Grut. 562, 4. Orell. 3241.**

3. T. Veturius T. l. Crescens *scriba libr. tribunicius* = **Grut. 627, 8.**

4. . . arius L. lib. Doc. nsecutus a Divo Com-[modo, *scrib. libr. trijbunic.* scrib. libr. a[edil. curul. pra]ec. quaestorius sace. [lict]or curiat. Laurens Lavinas = **supra p. 27.**

2. Viatores tribunicii.

1. L. Marius Phoebus *viator tribunicius decuriae maioris* mercator olei Hispani in provincia Baetica = **Grut. 1116, 1. Orell. 3254.**

2. L· EPRIVS· CHILO· VIAT· TRIB· PL· PRI· AC· PI = **Grut. 627, 9. Titulus corruptus, quem difficile est recte emendare, etsi multa tentari possunt e. c. PL. EPRIA. C. FIL....**

3. *viator tribunic.* . . a patron . . idem allectus IIIIII vir. aug. veter. . . . Fabrateria = **Maffei M. V. 190, 8.**

3. Praecones tribunicii.

1. P. Herennius P. l. Chresto *praeco tribunicius* = **Doni VIII, 26. Mur. 955, 10.**

2. Castilius (?) C. l. Phileros *apparitor. tr. pl.* = **Grut. 1093, 8. cf. scrib. aedil. 3.**

3. Mercurialis *tribunicius* apparitor Augg. = **praec. cos. n. 7. Cf. quae dicentur ad inscr. scrib. aed. n.**

Tribunorum plebis ministri rariores sunt, ut ipsi tribuni plebis non nimis communes in lapp.; nam per tribuniciam imperatorum potestatem omnibus tribunorum privilegiis et officiis sublatis inane evasit nomen tribunatus. Quamquam vero apparitoribus iis non opus erat, habuerunt tamen in memoriam pristinae dignitatis scribas viatores praecones. Omnium usi videntur singulis decuriis, quod de scribis constat per oppositionem scribae tribunicii et quaestorii trium decuriarum (scr. 1.), de reliquis probabile est; decuria maior quo pertinere videatur, indicabitur ubi agetur de scribis aedilicis.

D. Apparitores aedilium curulium.

1. Scribae aedilicii.

1. C. Avilius Licinius Trosius *curator scrib.* de suo fecit. Bebryx. Aug. l. Drusianus A. Fabius Xanthus *cur. scribis librariis et praeconibus aed. cur.* scholam ab inchoato refecerunt marmoribus ornaverunt Victoriam Augustum et sedes aeneas et cetera ornamenta de sua pecunia fecerunt. **In parte exteriori:** Bebryx Aug. l. Drusianus A. Fab. Xanthus cur. imagines argenteas deorum septem post dedicationem scholae et mutulos cum tabella aenea de sua pecunia dederunt *).

*) Est titulus scholae quae dicitur Xantha in clivo Capitolino Grut. 170, 3, ubi pro *curatore scholarum*, quem is habet, potius quam cum aliis *curator. scholam* reposui ex Ligorio apud Mur. 227, 3 *curatorem scrib.* quo ducit alter lapis eiusdem hominis Mur. l. c. = 2044, 6 unde quoque apparet quando scholam inchoarit. Is ita a me restitutus est:

Imp. Caes. M. Aurel. Anto
nino pio fel. Aug. Parth.
max. Brit. max. Germanico
max. pONTIF. MAXIMO
tr. pot. XVII. IMP. III. COS. III.
C. AVILLIVS. LICINIVS

2. L. Aelius M. f. M. nep. Quir Rectus domo Roma qui et Carthaginensis et Sicelitanus et Assetanus et Lacedaemon et Argivus et Bastetanus scriba quaestorius *scriba aedilicius* donatus equo publico ab Imp. Hadriano aedilis coloniae Carthaginensis patronus reip. Assotanorum civis adlectus = scrib. quaest. n. 6.

3. L. Albius L. f. Fab. Rufus *scr. aed.* = **Fabr. 386, 225.**

4. C. Apidius Proculus *scrib. aed. curul.* praef. fabr.

Cassius Priscus *scriba aed. cur.* = **Don. V. 164.** ex sched. suis. **Mur. 675, 5.**

5. [Ti.] Claudius Ti. f. Pal. Paulus prae. coh. $\overline{\text{I}}$. Thrac. in Britann. trib. leg. $\overline{\text{XIII}}$. gem. in Dacia, *scrib. aedil. cur.*, curat. Circeiensium. = **Marini Arvali p. 34.**

6. L. Cornelius L. f. Pal. Terentianus *scrib. aedil. et* $\overline{\text{X}}$*vir.* = **Grut. 326, 4.** vid. **Smet. Romae. Cf. Grut. 49, 1.**

7. T. Culciscius T. f. Vol. Proculus praef. fabr. *scrib. aed. cur.* = **Grut. 326, 5.**

8. P. Curtius P. f. Iustus *scrib. aedilicius* = **Grut. 326, 7.**

9. M. Ennius M. f. Men. Vicetinus *scr. aed. curulium*, armamentarius decuriae, q. decurio Vicetiae, dec. colonia Saturnia, aedilis Suessa *).

TROSIVS. SCRIB. LIBR
AEDIL. CVRVL. CVR. II
DEVOTVS. NVMINI
MAIESTATIQVE. EIVS

v. 4. rescripsi pONTIF. pro ONI. H., v. 5 XVII pro AVII, nam fracta nota numeralis pro vestigio litterae A accepta est. Murat. retulit ad a p. Chr. 60. Nerone imperante, cf. Marini atti n. 102, cum sit ni fallor anni p. Chr. 214, quo inchoata est schola q. d. Xantha, absoluta deinde per Xanthum et Drusianum.

*) Grut. 1093, 8, DECVRIA. Q (sive ex Smet. 152, 17 qui non vidit leges DECVRIAEQ.) interpretatus sum de quaestore decurione Vicentino, item armamentario decuriae vel decuria. Quod quid sit etsi incertum est, tamen armamentarios non esse eos qui curam gerunt armorum in armamentis positorum (quod volunt quidam) constat ex basi a. p. Chr. 138, quam Antonino Pio posuerunt *scribae armamentarii* (Grut. 253, 5). Tertius armamentariorum lapis Regii extat. *Concordiae C. Aquilius C. f. Cla Mela ex decuria armamentaria quinq. vir bis fieri iussit* (Grut. 100, 7). Unde apparet fuisse decuriam armamentariam s. scribarum armamentariorum, ex qua decuria fuit etiam Ennius

10. L. Fabius Hermog[enes] equo publ. *scriba aedil.* [in quinque] dec. adlect. flam. divi Hadr[iani] = **Cardinali diplomi n. 327. Giorn. Arcad. T. XXVIII. p. 556.**

11. L. Fabricius L. f. Pal. Caesennius Gallus, eq. Rom., pontif., L. L., *scrib. aedilic.*, omnibus honor. in c. Ost. f. = **Mur. 154, 4. 699, 8. Orell. 2178.**

12. T. Fl. Rufinianus trib. leg. IIII Flaviae cur. viar. Ost. et Campanae, *scrib. aedil. curul.* = **Don. VI, 36. Mur. 703, 3.**

13. Fortunatus *decuriae scrib. libr. aed. cur.* = **Grut. 326, 9.** vid. **Smet.**

14. C. Tulius Iustus eq. R. *scriba decur. aedilic. mai.* defunctus in prov. Britannia = **Fabr. 458, 78** qui ipse exscripsit.

15. C. Iulius C. f. Aem. Receptus *scr. decu. aedilium curullium* = **Mur. 709, 6.**

16. Sex. Iulius Paulinus *scrib. aedil. cur.* = **Mur. 92, 4.** e sched. suis. Genuinam esse non affirmo.

17. L. Iunius Lyco *scrib. librar. aedilium curulium* = **Grut. 42, 6.** Basis Herculi et Silvano dedicata.

18. Q. Lollius Q. f. Valerianus *scr. aed. curulium* = **Maffei M. V. 357, 3.**

19. T. Manlius T. f. Palat. Clementianus *scrib. aedil. curul.* lictor curiatus = **lict. cur. n. 10.**

20. P. Martius Quir. Philippus curator viae Praenestinae *aedilicius curulis* v. q. ab aerario, tribunus fabrum navalium Portens. = **viat. quaest. n. 8.** *)

Vicetinus praeterea scriba aedilium curulium; sed obscura est ipsa nominis ratio, fortasse non repetendi ab armamento navium, sed ab armario quo tabulae condebantur. Cui magistratui eiusmodi scribae tributi sint quaeque negotia administrarint plane ignoratur.

*) De hoc titulo ita ad me scripsit Borghesius. „Pertinet non ad „scribas aedilium curulium, sed ad aediles curules municipales, quo„rum duos animadvertit Furlanetto in Lexico Forcelliniano (v. Curulis „§. 5), alios reperies Grut. 1091, 12. Murat. 13, 1. Doni p. 75, 35. „Quod attinet ad Ariminensem nostrum Orell. 3979 addam Hagenbu„chium cum veram lectionem feliciter divinasset, non recte lapidem „esse interpretatum, qui ita explicandus videtur AEDILI. CVI. ET. CV„RVLIS Iuris Dictio ET PLEBEIA. MANDATA. EST.“ Cum autem omnia alia munera P. Martii Philippi sint ex publicis minoribus, non municipalia et apprime conveniant cum officiis scribae aedilicii, magis

21. Sex. Mutilius Sex. f. Col. Primus *scr.* q. et *aed. cur.* = scrib. quaest. n. 16.

22. M. Porcius M. l. Pollio *scr. libr. aed. cur.* lict. cur. = lict. cur. n. 12.

23. Grut. 326, 11. Sutrio in museum Vatic. inlatus, ubi exscripsit Kellermannus et ego quoque vidi

D M
PRASTINAE. FRONTONIS
SCRIBAE. AEDIL. DIESPITRIS

Unde videtur corrigendus alter Sutrinus Grut. 326, 10. *P. Orestii Frontonis scribae aedilis;* quod sequitur ad alium titulum pertinet. Nomen Prastinae insolentius erroris causa fuit. Cf. de C. Prastina Pacato Messalino cos. u. c. 900. Borghesium Bull. Nap. a. II p. 130.

24. Pub. Sallustius T. f. Pub. Virgula *scrib. aed. cur.* = Iahn spec. epigr. p. 140. Mur. 738, 1., qui alio loco 1081, confusam dedit cum altero titulo Grut. 285, 4, qui ibidem extabat, nempe S. Severini in Piceno. Borghesius auctor mihi est ex diligenti apographo, quod reperit in codice de Pretis confirmari Gruteri et Iahnii textum, nisi quod Iahnii typographus notas numericas solverit.

25. T. Statilius Messallinianus praef. coh. II Asturum scriba tribunicius *scriba aedilicius* = scr. trib. n. 2.

26. P. Sufenas P. f. Pal. Myro eques Romanus *decurialis scribarum aedilium curulium*, Lupercus, Laurens Lavinas, fratriacus Neapoli Antinoiton et Eunostidon decurio IIIIvir [apud Alb. Long. Bovillenses] = Fabr. 456. XVI. Mur. 1034, 3. Orell. 2252. Titulus honorarius simillimus aliis Fabr. 456, 74. 75.

27. T. Tettienus Felix, Augustalis, *scriba librar. aedil. curull.* viator aedil. plebis, accensus consuli. = Grut. 94, 11. Orell. 1621. Ex hac fluxit Ligoriana Mur. 619, 1. Vidi ego Salerni in aedibus episcopi; litterae sunt optimae.

placet scribae vocabulum supplere, plane ut praec. trib. n. 3 habemus Mercurialem *tribunicium* apparitorem Augg.

28. L. Varronius L. f. Pal. Capito *scriba aedilic*, accensus velatus, IIvir quinquen., curator viarum patronus coloniae. = Grut. 483, 3. Vidi in Castellone di Gaeta in villa Ciceroniana. Titulum posuit ordo quidam Regalium.

29. arius L. lib. Doc nsecutus a Divo Com- [modo scriba libr. tri]bunic. *scr. libr. a[edilic.* pra]ec. quaestorius sace. . . . [lict]or curiat. Laurens [Lavinas] = supra p. 27.

30. nus. iurisprudens *scrib. aed. cur.* = Marini F. A. p. 143.

Omisi spurios titulos L. Volusii Himeri *scrib. lib. aq[uinq.] dec.* Mur. 159, 6. et Allifanum L. Oppii C. F. Fer. Prisci *scribae aedil.* Gud. 8, 11; hunc enim a Ligorio proficisci etsi Gudius tacet, tamen indicat pagina manuscripti Gudiani ab editore in marg. adscripta.

2. Praecones aedilium curulium.

1. Scholae quae eis cum scribis communis erat titulum supra dedimus.

2. *Hoc monimentum apparitorum praeconum aedilium veterum vicariûm est* et posterisque eorum = Marini atti p. 675. Orell. 3202. Litteris vetustis. v. supra p. 9.

3. P. Aemilius P. f. Nicomedes pater, decurialis decuriae lictor. cos. trium decuriar. Xprimus, item decur. lictor. popularis denuntiat. Xprimus, item *praeco aedilium curul. Xprimus* = lict. cos. n. 15.

4. Q. Haterius Q. l. Olympicus *appar. aedil. permissu colleg. ap.* Hateriae — — coniugi fecit. = Mur. 2015, 6. Contra Maffei M. V. 129, 1. Orelli 3255 legunt COLLEG*ii* AVR*ificum*, quod hic non videtur locum habere. Fuit aut COLLEG*ii* AP*paritorum* aut COLLEGAR*um*.

Aedilibus curulibus non adfuerunt nisi scribae et praecones; viatoribus caruerunt, quod praeter silentium lapidum de viatoribus aed. curul. probat titulus scholae communi ap-

paritorum aediliciorum inscriptus, qui nominat solos scribas et praecones. Unde in his confirmatur quod ait Varro eos non habuisse viatores; nam non de solis quaestoribus locutus est. — In apparitoribus aedilium curulium collocavi quicunque simpliciter aedilium s. aedilicios apparitores se professi sunt. Movit me praeter eximiam apparitorum aed. pl. raritatem (praeco adhuc non prodiit, scriba unus et is dubius) id praesertim, quod in titulis viatorum aediliciorum quos ad aediles plebis pertinere constat, nunquam ponuntur aediles simpliciter, sed ubique aediles plebis; unde aedilem simpliciter positum de curuli accipiendum esse sequitur.

In collegia coiisse et scribas aed. et praecones probat communis utrorumque schola (scrib. 1.). Communes etiam habuerunt duos curatores, qui non videntur fuisse collegiorum magistri, sed rectores dati ab Impp. ut curatores municipiorum (Orell. 3898. 3899. 3902) et collegiorum (Orell. 2163. cf. 2417). Curam non fuisse perpetuam monstrat iterationis nota (p. 41 ann.). Quod ad praecones attinet, collegium eorum memoratur n. 4 et monumentum eorum commune n. 2, quod proprium est collegiatorum. In id cum ex verbis tituli legeque collegii non inferuntur nisi posteri, tamen permissu collegii praeconis cuiusdam uxor quoque illata est (n. 4). Una decuria contentos fuisse praecones aedilicios inscr. n. 3 per oppositionem non obscure arguit, unde quoque edocemur de decemprimis in ea decuria. Quod facit, ut *M. Vetium quoque M. l. Cissum apparitorem Xvirum* et *VIvirum Aug. Trebulae Suf.* (Mur. 756, 8) non sine aliqua probabilitate ad hoc praeconum genus referamus, in quo solo decemprimi s. decemviri commemorantur.

In scribis aediliciis rarissime commemoratur decuriatio, scilicet ex triginta nostris titulis in quatuor solis 13. 14. 15. 26. Ex his unus est Fortunati n. 13, qui clare ait unam solam decuriam scribarum aediliciorum fuisse, verbis *decuriae* (i. e. ex decuria) *scrib. libr. aed. cur.* (Cf. lict. cos. 10 quaeque ibi notata sunt). At quid faciendum est de titulo n. 14

quo dicitur C. Iulius Iustus SCRIBA. DECVRiae AEDILICiae MAIoris? quid de titulo simillimo L. Marii Phoebi qui fuit VIATOR. TRIBVNICIVS. DECVRIAE. MAIORIS (viat. trib. 1.)? *) Res plane incerta est. Fortasse cum in scribis aediliciis Xviri commemorentur (scrib. aed. n. 6.) eosdemque in viatoribus tribuniciis statuere nihil vetet, Xviri hi appellabantur *decuria maior*. Neque tamen ita Xviros dictos esse credimus ideo quod decem fuerunt, quo posito universus scribarum aedilicium numerus ad viginti restringendus esset; hanc enim vetustam vocabuli significationem apparitorum tituli non amplius noverunt. Cum decuria in aliis modo totum collegium, modo partem quotam eius significet, in scribis aediliciis, ubi a reliquis scribis secreti erant Xprimi ut collegium sexprimorum a scribis quaestoriis, ea pars collegii quae pertinebat ad Xviros esse potuit *decuria maior*, cum reliqua turba efficeret decuriam minorem. Quod videtur rationem habere, etsi res in coniectura posita est; nam ita intelligitur cur in una decuria scribarum aediliciorum nihilo minus distinguantur decuriae maior et minor. Ceterum ne propter numerum titulorum qui aetatem tulerunt cogites, perquam multos fuisse scribas aedilicios, reputes eos multum potuisse in republica et fuisse ex civibus honestissimis; unde numerus inscriptionum ex dignitate potius scribarum quam ex multitudine repetenda est.

E. Apparitores aedilium plebis.

1. Furiae Sabinae Tranquillinae — coniugi — Gordiani — *decuriales aedilium pleb. et pleb. cerialium* = Mur. 251, 4. ex

*) Huc denique traxit Orelli lapidem n. 3431, quo nominatur M. Gavius M. f. Palat. Sabinus SCRIBA. AED. I. D. PRAEF. FABR, interpretatus in indice SCRIBA. AEDilicius primae Decuriae. Erravit autem; nam lapis est Beneventanus ubi fuit magistratus dictus modo PRaefectus CERialis IVRi Dicundo (de Vita cl. III n. 14. 15. 16) modo AED. Iuri Dicundo (id. cl. III n. 10); ut Gavius iste fuerit et scriba et aedilis i. d. Beneventi. Ceterum ne quis erret, in lapide apud de Vitam cl. III, n. 14, quem vidi Beneventi, non legitur PRIMO. CER. I. D. sed PR. CER. I. D ut in aliis omnibus, quod mendum neque unicum neque gravissimum est in hoc lapide describendo a de Vita commissum.

schedis fr. Iucundi melius quam Don. III, 49. ex Manutianis, quae omittunt alterum *pleb.*

2. Q. Considius Q. l. Ero[s] *viator aed. pl. lege Papiria*, Lupercus Quinctial. vetus, accensus cos., magister trium decuriar = vide supra scrib. quaest. in fine.

3. T. Tettienus Felix, Augustalis, scriba librar. aedil. curull., *viator aedil. plebis*, accensus consuli. = scrib. aed. n. 27.

4. Q. Maecius [Q. l.] Idaeus *viator aed. pl.* = Mur. praef. ad T. IV. p. 9. n. 8, item Pansa Amalfi p. 187 qui ita dedit. Q. MAECI. ‖ IDAEI. VIATORI ‖ MED. . . . PL. Unde Muratorii textum in quibusdam correximus.

5. L. Atiedius L. l. Dorus *scr. libr. aed. pl.* = Murat. 2044, 4. e sched. Pighianis.

In apparitoribus aedilium plebis praecones desunt, scribae uno titulo nituntur et eo, qui neque optimum auctorem habet et in quo facile legi potuit SCR. LIBR. AED. PL. pro SCR. LIBR. AEDIL.; etsi conditio libertina L. Atiedii non ita bene convenit scribae aedilium curulium. Restant soli viatores, quos et ipsos non habuerunt ante legem Papiriam (n. 2); ut ex Varronis mente recte aediles plebis in eis magistratibus collocemus, qui neque vocationem habent neque prehensionem. Lex Papiria quo tempore lata sit et cur aedilibus plebis viatores dederit, ignoramus; pertinet tamen sine dubio ad ultima tempora liberae reipublicae primave imperatorum ut reliquae leges in inscriptionibus obviae Cornelia, Iulia municipalis, Petronia. Nam sub impp. legum ferendarum consuetudo mox abolita est; ante Sullam autem titulus Q. Considii qui linguae archaicae nullum vestigium monstrat, scriptus esse non potest, qui cum scriberetur lex nominatim ibi laudata recens esse debuit. A Sulla autem ad Augustum nulla fere nova res de aedilibus plebis statuta est praeter institutionem aedilium cerialium u. c. 710., quo coepti sunt creari aediles sex, duo curules, quattuor plebeii, quorum duo Ceriales dicti annonam procurarent idque in suum usque tempus mansisse

Dio auctor est *). Quos institutos esse per legem Papiriam suspicor, cum qui annonam procurabat sine viatoribus esse non posset et in inscr. 1. decuriales nominatim ad aediles plebeios ceriales referantur.

F. Viatorum IIIIvirum cap. et IIIIvir. viar. cur.

1. In honorem domus Augustae. Ti. Claudius Secundus coactor cum Ti. Claudio Ti. Quir. Secundo f. *viatoribus IIIvir. et IIIIvir.* scholam cum statuis et imaginibus ornamentisque omnibus sua impensa fecit = **Grut. 169, 5. Romae in Aventino.**

2. Viat. III vir. capet. IIII vir. viar. cur. = **Mur. 2026, 3.** qui male **VIAT. CVR.**

Tres viri capitales sine prehensione esse non potuerunt quae commode data est etiam IIIIviris viarum curandarum; eadem decuria utrosque usos esse praeter scholam communem docet quod dicitur *viator IIIvirum quatuorvirum*, non *viator IIIvirum viator quattuorvirum* (cf. p. 27). Exile munus fuisse arguit quod neuter lapis sepulcralis est nemoque sollicitus fuisse videtur, ut monumento suo inscriberetur id officium. Casu factum est ut Ti. Claudius Secundus inscr. 1. coactor etiam esset; coactores enim argentarii sane diversi fuerunt ab eiusmodi viatoribus. Eorum erat auctionem perficere et pecunias exigere (unde Horatii pater, qui erat coactor argentarius, dicitur in vita Hom. *coactor exactionum*), ut pro centenis nummis centenos singulos ab emptore acciperent et singulos retinerent pro opera et periculo, quod et ipsum eos spectabat (Dig. XL, 7, 40, 8), centenos venditori solverent (Cic. pro Cluent. 64. pro Rab. Post. 11). Apparet fuisse eos homines eiusdem conditionis ac praecones reliquosque apparitores, quare Horatius cum praecone componit (Sat. I, 6, 86), lapi-

*) XLIII, 51 cf. Dig. I, 2, 2, 32. Nummum gentis Critoniae (Eckhel V, 198) ad eam rem non pertinere nunc constat, anteriorem enim esse a. 705 docuit thesaurus Cadriani repertus (Riccio mon. delle famiglie p. 77).

des cum viatoribus (viat. cos. n. 9. et supra viat. IIIvir. 1.) Ceterum aliquoties inveniuntur in lapidibus Grut. 76, 1. 583, 6. 626, 5. 6. Mur. 945, 10. 975, 3; apud Nibbyum (Viaggio antiquario I, 58) exstat *coactor argentarius Caesaris n.*

G. Lictores vicomagistrorum.

In titulo saepe citato P. Aemilii Nicomedis is dicitur decurialis decuriae lictoriae cos. trium decuriarum Xprimus, item *decur. lictor. popularis denuntiat. Xprimus*, item praeco aedilium curul. Xprimus. Cui similis est alter Anagninus editus a Pasquale Cayro (discorso storico sulla città d'Anagni p. 152) et Maria Candida Dionigi (viaggi fol. 24), accuratius mihi a Brunnio meo exscriptus Anagniae in foro:

EVHODI
M. AVREL. SABINIANO
AVGG. LIB. PATRONO
CIVITATIS. ANAGNINOR.
ITEMQ. COLLEGI CAPLATO
RVM DECVRIALI DECVRIAE
LICTORIAE POPVLARIS DENVNCIATORVM
ITEMQ. GERVLOR. SEDET DECEMVIRALIS
S. P. Q. A. ERGA AMOREM PATRIAE
ET CIVIVM QVOD THERMAS LONGA INCVRIA
NEGLECTAS SVA PECVNIA RESTITVERIT.
STATVAM EX LEG. SVIS. PONEND CENSVER
OB CVIVS DEDIC. DEDIT. DECVR. ✳. V. SEXV
✳II POP ✳I ET EPVLVM SVFFIC

Quae verba aut accipi possunt de una decuria lictoria populari denunciatorum gerulorumque, in qua Euhodus fuerit et decurialis et decemviralis *), aut de duabus, decuria lictoria populari denunciatorum alteraque gerulorum, in utraque quarum Euhodus fuerit decurialis et decemviralis. Haec inter-

*) Ne quem turbet, quod DECEMVIRALIS oppositum fuisse putamus DECVRIALI, eiusmodi casuum confusio frequentissima est in inscriptt. posterioris aetatis, ut sexcenti lapides habent D M C. IVLII. EVTVCHI PATRONO et similia. Ceterum *decemviralem* et *decemprimum* idem significare hoc loco apertum est.

pretatio verior videtur, *item* enim in lapp. plerumque significat incipere rem novam aliique tituli decurialium gerulorum *) tacent omnino de denunciatoribus, ut reliqui denunciatorum tituli de gerulis, ut coniunctio utrorumque in lap. Anagnino casui tribuenda esse videatur. — Lictores hos populares denunciatores (nam de lictoribus denunciatoribus, non de lictoribus denunciatorum accipiendos esse istos titulos docet basis Amalfitana Grut. 254, 4. Orell. 2544. quam p. Chr. 142 Antonino Pio posuerunt *socii* i. e. decuriales *lictores populares denunciatores Puteolani*) attribui vicomagistris urbanis, qui cum instituerentur a Caesare Augusto, acceperunt togam praetextam et lictores, quibus in suo quisque vico certis quibusdam diebus uterentur (Dio LV, 8). Praeterquam enim quod non facile invenies alium magistratum cui hanc decuriam attribuas, probabile est lictores infimorum magistratuum segregatos fuisse a lictoribus summorum; accedit quod *populares* lictores optime conveniunt vicomagistris. Denique in basi Capitolina Grut. 250 quae recenset quinque regionum curatores et vicomagistros, singulis regionibus singuli attribuuntur *denunciatores*, id est ipsi illi lictores populares. Quod ad numerum decurialium eius decuriae attinet, sane non fuerunt singulis magistris vicorum sui lictores; cum enim non haberent nisi certis diebus, compluribus magistris idem lictor apparere debuit. Contra non minus errabit, qui ex basi Capitolina numerum denunciatorum rediget ad XIV; absurdum enim erat Xprimos in decuria quattuordecim hominum constituere et cum bini simul lictores magistris vicorum apparerent, ex alia regione lictorem adhiberent necesse esset, quod rationem non habet. Cum autem in curatoribus quoque, quos binos

*) Sabinae Tranquillinae Gordiani III uxori titulum fecerunt *decuriales geruli* Grut. 1085, 11; item Fortunatus *decurialium gerulorum dispensator* p. Chr. 166 in honorem domus Augustae Iunoni Lucinae aram dedicavit (Grut. 1009, 12). Cf etiam Grut. 696, 4, quod exemplum inspecto lapide qui est in Museo Vaticano admodum detritus Kellermannus praetulit alteri Don. 148, 50. Murat. 758, 2. Videntur fuisse ex familia imperatorum et imperatorum principumque lecticas portavisse.

fuisse constat et ex Curioso Urbis et ex ipsa basi in reg. XII, eadem in quattuor regionibus ex quinque non habeat nisi singulos, idem in denunciatoribus accidisse consentaneum est et fuisse tot denunciatores quot curatores, id est XXVIII. Qui numerus exiguus bene convenit titulorum paucitati officioque otioso; deinde cum bini essent lictores singularum regionum, optime magistri vici suis quique diebus lictoribus uti potuerunt. Quid denunciaverint, non dicitur, credo tamen dies feriarum, praesertim conceptivarum, ut legitur in lapide quodam *vici Censori lustratio erit Idibus Septembribus.* (Orelli 2481).

H. Apparitores magistratuum municipalium.

Etsi non mihi propositum est de magistratuum municipalium apparitoribus omnia colligere quae ex inscriptionibus de iis accepimus, placet tamen pauca de iis quoque addere ad comparationem instituendam magis quam ad rem absolvendam. Duumviros, qui erant quasi consules municipiorum, duos lictores habuisse notum est, unde duo fasces appicti sunt titulo duumviri Nucerini, quem post alios edidit Avellino opuscoli III, 155. 173 cuius de hac re observationes conferendae sunt. *Lictor duumviralis* est in lapide Capuano pessime edito a Muratorio praef. ad T. IV, p. 6, n. 8, quem ita descripsi in Museo Borbonico:

(imagines viri et mulieris)
P. OCTAVIO. P. LIB. SVCCESSO
LIC. IIVIRALI. CAPVAE
CAECILIAE. Q. F. SALVTARI
SIBI. SVISQVE. SOLO. PRIVATO
VIVI. FECERVNT

Alterum lictorem duumviralem non facile invenies *), etsi

*) Nam spurius est lapis Nomentanus Polidoro *Bruttia vindicata* (in calce libri Barrii et Aceti de Bruttiis Rom. 1737) p. XXII: M. ONESIMO. FVLVO || LICTORI. MVNICIP. NVMENT || OPT. COH. V. PRAET || LAELIA. CONIVS. B. MERENTI || ET. SIBI. ET. FILIIS. DVLCISS || P || IN. AG. P. XII.

lictores Brixianorum sunt apud Grut. 631, 6 cf. 3., *apparitores et limocincti tribunalis* in titulo honorario quatuorviri Veronensis apud Orell. 3219. Denique in lapide Ostiensi Fabrett. X. 450 nominatur *patronus decuriae scribar. cerarior. et librarior. et lictor. et viator. item praeconum*, unde intelligitur id municipium accurate imitatum esse quattuor apparitorum genera quae erant Romae; etsi Ostiis quicunque apparitores erant in unam decuriam coiisse videntur. Similiter accidit Narbone Grut. 630, 12: *C. Manlius C. f. Pap. Rufus Umber exs decuria lictorum viatorum quae est c(olonia) I(ulia) P(aterna) N(arbone) M(artio)* cf. 626, 3.; unde restituendus est alter Narbonensis titulus Grut. 624, 9

p. CORNELIVS
P. F. PAETVS
licTOR. VIATOR
c. I. P. N. M. P. XV

Borghesius tamen hanc decuriam lictoribus municipalibus attribuendam esse negavit, formulam enim QVAE EST propriam esse eorum qui ad tempus alicubi habitarent, citavitque inscriptiones affines Berytensium *qui Puteolis consistunt* Murat. 231, 4; Italicorum *quei Argeis nogotiantur* Grut. 375, 5. Quare cum praesertim C. Manlius Rufus ipse se ex Umbria oriundum professus sit, decuriam hanc lictorum viatorum apparuisse proconsuli provinciae Narbonensis censuit. Haereo tamen in eo, quod apparitores proconsulis decuriam effecisse dicuntur; nam aliud exemplum decuriationis in ministris magistratuum provincialium non novi neque casu id factum esse supra dixi, sed propterea quod apparitores eorum non erant perpetui itaque in decurias collegiaque coire non poterant. Neque intelligo cur ista decuria *quae est Narbone*, non potuerit esse Narbonensis, cum lapides non desint, in quibus artifices Romani Romae alicubi *consistere* dicantur; de qua re videatur Marini Arvali p. 12 cum annot.

Restant *socii lictores populares denunciatores Puteolani* citati in proximo capite ex unico lapide, cuius similem adhuc

nullum reperimus; unde quo pertineant non effici potest nisi ex comparatione lictorum popularium denunciatorum urbanorum. Qui si vicomagistris attribuendi sunt, vicomagistros autem in municipiis referunt Augustales (nam larum Augustalium colendorum causa institutos esse vicomagistros in urbe, in Italia Augustales olim demonstravi): lictores isti populares denunciatores Puteolani pertinent ad Augustales Puteolanos. Quod confirmatur fascibus binis qui in sexvirum Augustalium lapidibus frequentissime inveniuntur appicti; ut in duobus his ineditis, quorum priorem descripsi ex lapide Solopacae prope Telesiam, alteram ex schedis accuratis Aeserniae:

C. CAESENO
C. L. POTHO
fascis SEVIR. AVG (fascis interiit lapide fracto)
ET. C. CAESeno
C. C. lib.....
.

Aeserninus hic est:

CN. RVLLIVS
CALAIS
SEXVIR. AVG
fascis (bisellium cum fascis
suppedaneo)
SIBI. ET. MARIAE
CORINTIDI
CONTVBER
V. F.

Scribae denique municipiorum, ne hos omisisse videamur, minime potuerunt deesse, postquam censiones in municipiis peragebantur (v. l. Iul. municip.). Neque desunt; ita in lapide Sulmonensi Don. V, 162. Mur. 201, 7. 726, 7., quem ipse Sulmone descripsi, est P. OcTAVIVS. P. F. EVtuclANVS. SCR. SVL, in altero Venafrano, Cotugno Venafro p. 292, M. VALERIVS. VICTOR scRIBA. VENAFrAN., in inedito Aesernino CN. MARIVS. CN. F. TRO. SEVERVS. SCRIBA. AESER-

NINVS. Decuriae tamen scribarum praeter exemplum Ostiense supra relatum aliud in municipiis non novi.

Perfeci quod mihi proposueram, ut apparitorum titulos colligerem, ordine disponerem, interpretarer. Id addendum est, ne quis frustra quaerat, multos quidem ex his officiis plura obtinuisse, sed non accessisse per gradus a minori ad maius; ordo enim nullus reperitur. Invenitur qui fuit scriba aedilicius scriba quaestorius (scr. qu. C. 16.), scriba aed. scriba trib. (p. 27 et trib. 2), scriba trib. scriba quaest. (pullar. 16); praeterea viatores quoque pervenerunt ad scripturam, praesertim quaestorii ad quaestoriam (scr. qu. 20. pullar. 16) vel tribuniciam (pullar. 16) vel aediliciam (viat. qu. 8), sed etiam viator aedilis plebis ad aediliciam (scr. aed. 27.) Quid quod ex lictoribus quinque ad scripturam accesserunt, unus consularis ad quaestoriam (lict. cos. 6), quattuor curiati ad aediliciam (p. 27. lict. cur. 10. 12. 13.) Viatores consulares iidem lictores fuerunt sive consulares (lict. cos. 14) sive curiati (viat. cos. 7. 10), lictor consularis et popularis item praeco aedilicius (lict. cos. 15), ex pullariis denique unus lictor (lict. cos. 19) alter viator (lict. cur. 16). Quare etsi in his discrimina apparent, ut praecones ab aliis longo intervallo separatos fuisse, lictores et viatores autem paene exaequatos (unde etiam coniuncti fuerunt in decuria Narbonensi et *eiusdem ordinis homines* audiunt apud Gell. XII, 3), nullus tamen ordo cernitur nedum munerum series, et qui potuit aliter esse in officiis pecunia emtis? Munera quot quis obtinere potuit eodem tempore eum gessisse credendum est. Quod ad dignitatem apparitorum attinet, in universum non erat magna, et ex libertis plerumque ministeria magistratibus et sacerdotibus parari Tacitus auctor est (Ann. XIII, 27). Eos tamen non nihil potuisse in rebus publicis cum rebus gerendis interessent et facile magistratuum sive gratia sive socordia quidvis obtine-

rent, praeter auctores, qui multi sunt de honestissimo ordine scribarum, lapides quoque comprobant de iis maxime qui aderant magistratibus multis rebus occupatis, ut praefectis aerario in cura tabularum publicarum et aedilibus curulibus in emtionum venditionumque negotiis. Scribae erant honorificentissimi apparitorum, sequebantur lictores, tum viatores ultimique erant praecones; quo ordine recensentur in titulo Ostiensi p. 52. *Praecones* sane omnium erant contemptissimi, unde in his reperitur neque ingenuus neque tribus, si exceperis P. Aemilium P. f. praec. aed. 3. et C. Calpurnium praec. cos. 3, spurium id est quasi libertinum et ex tribu Collina spuriorum, ne honor quidem ullus nisi seviratus semel p. 45.; praeconis filius inter decuriones Puteolanos receptus (praec. cos. 2) in memoriam revocat praeconis filium L. Aelium Stilonem Praeconinum. *Viatorum* longe maior pars erant liberti hominesque infimi ordinis, unde tribus raro apparent, rusticae bis tantum (viat. quaest. 8; cos. 5 lectio incerta est et PAL fortasse scr. pro FAL), multi vero in iis artifices reperiuntur fabri, margaritarii, vestiarii, coactores argentarii, mercatores olei multique homines ex sacris collegiis tenuiorum, ut ex Antoniniano et dendrophorum et sevirum; maiores honores nulli apparent, nisi eo referre placet officia quaedam domus Augustae (viat. cos. 4. 7.), sacerdotium Luperci (viat. aed. pl. 2) equestremve honorem filiorum viatoris consularis (viat. cos. 16), nam equitis Romani L. Licinii Herodis, qui fuit decuriae viat. cos. equestris, rationem plane singularem supra exposuimus. Viatores autem quaestorii, quorum officium maximam fidem flagitabat, meliori conditione fuerunt; in his enim neque reperiuntur sordida ista opificia et fuerunt duo homines satis honesti, alter tribunus fabrum navalium Portensium et curator viae Praenestinae, alter trib. mil. bis et curator fani Heraclis Tiburtini. — Eodem fere loco fuerunt *lictores* eiusdem ordinis homines. Plurimi sunt liberti, ingenui pauci, tribus perrarae neque nisi urbanae, opificia et ministeria apparent vulgaria, ut fabri tignarii, fu-

soris ollarii, nomenclatoris ad census, quique paullo honoratiores sunt, in quibus sunt lictores proximi, ministeria obtinent domus Augustae (cos. 17. 18. cur. 7. 8.) vel sacerdotium Laurolaviniense (p. 21. cos. 18) patresve fuerunt equitum Romanorum (cos. 8. 14. 16). Quantum nihilominus potuerint, demonstrat titulus Ti. Claudii Severi lictoris decurialis (cos. 8), quem posuerunt piscatores et urinatores in Tiberi amne ob navigationem scapharum eius opera adquisitam. Sequuntur longo intervallo *scribae*, quorum insignem in republica locum praeter Ciceronem lapides clare arguunt. Aedilium plebis quidem et tribunorum liberti omnes sunt neque ullo honore insignes, excepto T. Statilio scriba tribunicio et praefecto cohortis, qui tamen non multum probat; cum enim idem fuerit scriba aedilicius, per hunc honorem ad praefecturam pervenisse putandus est. Longe alia ratio est quaestoriorum et magis etiam aediliciorum. Libertos in utrisque non inveni nisi ternos (aed. 22. 27. 29. cf. 1., quaest. 14. 20.), quorum omnium ratio ita comparata est ut antea fuerint sive viatores sive lictores et per hoc officium in maius scripturae se insinuare potuerint, praeter unius L. Numpidii Philomeli scr. quaest. 14 in titulo seculi Augusti, quo horum scribarum minorem adhuc honorem fuisse credo. Tribus quoque nominantur honorificentissimae quaeque et plurimae rusticae; Palatinam saepissime apparere (quaest. 1. 2. 18. aed. 5. 6. 11. 19. 26. 28) inde repetendum est, quod ad ministerium urbanum faciliorem accessum habebant homines in Urbe nati. Minora collegia et opificia nulla memorantur, nisi quod unus scriba aed. n. 27 Augustalis erat; qui accensus consuli et viator aed. pl. cum fuisset, extra ordinem scripturam videtur adeptus esse. Contra scribae et quaestorii et aedilicii multi habuerunt equum publicum (quaest. 6. cf. p. 4 de M. Fabio Sarmento aed. 2. 10. 11. 15. 26.) et locum in V decuriis (aed. 10) multi officia publica non infimi ordinis, ut curam viarum (aed. 12. 20. 28), munus accensi velati (aed. 28), vigintiviratum (quaest. 4) sacerdotia denique pontificis (quaest.

1. aed. 11) Salii (quaest. 1), flaminis D. Hadriani (aed. 10), Laurentis Lavinatis (aed. 11. 26. 29), Luperci (aed. 26). Magis etiam diversitas inter hos et alios apparitores apparet inde quod cum in his praeter viatores quaestoris nullum omnino hominem militarem invenerimus, hic nobis praesto sunt praefecti cohortium (aed. 5. 25.), praefecti fabrum (quaest. 1. aed. 47.), tribunus fabrum navalium Portensium (aed. 20), praefectus praesidiorum et Montis Beronices (quaest. 18), tribuni militum, in quibus unus a populo (quaest. 4. 10. aed. 5. 12.). Maxime autem scribas honoribus et officiis suis municipia praesertim Urbi vicina prosecuta sunt, unde habemus in iis summis honoribus functos Ostiis (aed. 11.), Circeiis (aed. 5.), Bovillis et Neapoli (aed. 26), Tibure (quaest. 1), Carsulis (quaest. 4. 15.), Formiis (aed. 29), Sinuessae (quaest. 11), Sulmone (quaest. 18), Vicetiae Saturniae Suessae (aed. 9). Quin ad provincias ea consuetudo propagata est, ut L. Aelium Rectum scr. quaest. scr. aed. multae civitates in Graecia et Hispania civitate honoribusque decorarent (aedil. 2.) Quantum potuerint in rebus gerendis, inde intelligitur; quibus rebus valuerint quid est quod exponam, cum rationes publicas conficerent et mercium mercatorumque curam agerent? Sane scribis potius quam aedilibus attribuendum est quo adhuc pro lege utimur edictum aedilium curulium de rerum venditionibus, unde optime convenit scribam aedilicium, cuius nomen aetas nobis invidit, in inscr. 30 dictum esse *iurisprudentem*.

Romae 1846.

T. Mommsen.